

item lenta materies & incorrupta, corde solido neq; medullaceo siue molli, Alexandrinam hanc inibi vocant, & circa Idam crebra ostēditur. Athenæus Theophrasti fretus autoritate prodit, circa Troianā Idam ficum enasci, caratiæ aut aratiæ cognomento, frutice luxuriantem, folio tiliæ, pomo oleæ magnitudine, rotundiore tantum, gustu & sapore mespili. Ficus Pelagica in mari nascitur sine folio, nec magnitudine præstanti, cortice puniceo.

¶ *Ficus Indica, & Indicæ arbores sine nomine.*

Cap. LXXX.

**F**icum Indicam Onescritus apud Strabonem celebrat. Theophrastus admiratur, quòd seipsa ferat, anniculorū germinum pondere ramos in terram curuante, qui annuo spatio figantur, nouāmq; sibi propaginem faciant: vbi in orbem radicantes ceu topiario sepi opere, parētem circundant, in eo tabernaculo æstiuant pastores. Erumpentes autem radices, palam à ramis discernuntur, vtpote candidiores, hirtæ, tortuosæq;, gemina coma foliatæ. Arbor fronde superna luxurians decora specie lasciuit, fornicatōq; ambitu pulchrè sepe opacat, & quasi vallo munit. Superiores eiusdem rami in excelsum emicant, syluosa multitudine, vasto matris corpore, vt sexaginta passuum orbē, minimum quadraginta colligant, vmbra verò ad bina ferè stadia eiaculentur. Foliorum latitudo amazonicæ peltæ effigiē habet, ea causa fructū integens crescere prohibet, rarūsq; est, nec temere ciceris magnitudinē excedens, ficus similitudine atq; sapore, cum per folia solibus excoquitur. quamobrè Græci ficum eam arborē appellarunt. Parcè admodum pro magnitudinis gestiente desiderio fructificat. Gignitur circa Acesinam maxime amnem. Est & alia arbor magnitudine insignis & suauitate fructus præcellentior, maiore pomo, quo sapiētiores Indorum qui nudi degunt, gymnosophistas nominant, vescuntur. Alia cui folium alas auium imitatur, quæ galeis superponuntur, longitudine duorum cubitorū. Alia fructum ædit prælongum, contortū, nec rectum, pomo prædulci quidē, sed intestinorū valetudini infesto, ob id edixerat Alexander, nequis agminis sui hoc attingeret. Has tamen treis arbores nomine palæ Plinius videtur cōplexus, cum dicat, maior alia pomo & suauitate præcellentior, quo sapientiores Indorum viuunt. Folium alas imitatur auium, longitudine trium cubitorum, & latitudine duūm. Fructum è cortice mittit admirabilem, succi dulcedine, vt vno quater nos satiet. Arbori nomen palæ, pomo arienæ, plurima in Sidracis, expeditionum Alexandri termino. Theophrastus eadem inquit. Alia arbor est folio prælongo, nec absimili pennis struthiocamelorū, quibus conos galearum bellicos adornāt. Alia portetosæ magnitudinis visitur, fructu suauitate præcellenti, Indicæ ficus specie, sed multo maiore, vt quo gymnosophistæ victitent. Alia cui fructus longus, nec rectus, sed contortus, cibo dulcis: sed aluum vellicat, & tormina ventris ciet: ob id Alexander militibus suis esu huius interdixit. Arbori palæ nomen inditum videtur, q̄ in celsitudinē sese vibret, & in proceritatē emicet. Sed generatim arborū alia narrauere Macedones, ex maiore parte sine nominibus. Est & terebintho similis cætera, pomo amygdalis, vel minore tātum magnitudine, præcipuæ suauitatis. In Baëtris hanc vtiq; terebinthū esse proprii generis potius q̄ similē ei putauerunt: sed vnde vestes lineas faciunt, folijs moro similis, calyce bombycino, simili cynorrhodo. Serunt eam in campis, nec est gratior vllarū prospectus.

Ficus vulgaris, &amp; Caprificus.

Cap. LXXXI.

**F**icus vulgaris arbor est non magnopere procera, quanquam amplissimæ quædam inueniantur, vel pyris æmula magnitudine, breui caudice, cortice læui, folio maximo vmbrosissimóq; in crucis modum laciniato, sine flore: pomo quod supra folium nascitur, turbinato, molli, intus granoso: succo quum maturescit lacteo, postea melleo. Folium Hippocrates fico coronopodes, id est cornicis pedi simile reddidit in vere: nisi quis apud Theophrastum ita pro scolopodi, id est cruciformi legendum putet. Germinat sub Arcturum post ver, aut paulo ante Aequinoctium, quod tempus omnibus edomitis cõmune est. In Elephantino agro folia ficis non decidunt: similiter in Tylo caduca non sunt. Serotinæ fici antè quàm fructum percoquant, folia deperdunt. ea constant cortice, neruo, carne. Arbori medulla carnosã, corpus rarum, contortior & breuis caudex, cortex simplex, perquam amplum folium. Radices multæ, obliquæ, ac longæ, radice præcipuo. Succus dulcis & lacteus humor. lignum carnosum, validum, rectum tendens, & enerue, nodosum: quod quum crematur, acerbissimum fumum eructat, facileq; concipit ignem. Ficus excitanda prouenit, & omnibus emergit modis, præterquam ex ramo & furculo. Sata omnino degenerat. Seritur vastiore ramo, sic malleo in humum adigente, vt exiguum supra terram relinquatur: deinde arena superiecta cooperiatur. Sed iuxta scyllam sata lætior cõualescit, & ocyus augetur, minúsque vermibus infestabitur: & vt summatim dicatur, satum omne scyllæ appositum facilius germinat, atq; celerius increscit. excitato quoque puluere magis adolescit ac viret, ad quem vsus ficos suffodiunt, cum puluere fuerit opus. cùmque rigatur, multo magis germine viget: sed fructum deteriorè parit, præter Laconicam, quæ riguis vehementissimè gaudet. Ficorum radices amputant, & cinere obducto obstruunt, passimq; caudicem vulnerant, ita copiosiore fructu dari adfirmant. Ficus breui tempore viuit: longior caprifico vita. Arbos vredine præsertim infestatur. Ficos detracto cortice aliquando reuixisse tradunt. Ostentum existimant aruspices ex caprifico ficum prouenire, sed deterius è fico caprificum: item ex candida nigram, & contrã. Ficus vermes creat, sed propriè qui cerastræ nominentur. Fructum amittit antè quàm maturescat, vbi auxilium magnopere quæritur, & inde comperta caprificatio. Nanque pomis caprifici putrescentibus identidem culices generantur, partiq; & alimento fraudati in matre, hoc est putri eius tabe ex qua nati, ad cognatam volant, morsuq; ficorum crebro, hoc est auidiore pastu aperientes ora earum, atq; ita penetrantes intus solem primum secum inducunt, cerealésque auras immittunt foribus apertis: mox lacteum humorem, hoc est infantiam absumunt, sic maturitati præparant, quod fit & sponte. ideoque ficetis caprificus permittitur, ad rationem venti, vt flatus euolantes in ficos ferat. Inde repertum est, vt illatæ quoque aliunde, & inter se colligatæ iniicerentur, quod in macroso & aquilonio situ non desideratur, quoniam sponte arefcunt natura loci, rimisq; eadem, quæ culicum opera perficit: necnon vbi multus puluis. nanque pulueri vis siccandi succumque lactis absorbendi, quæ ratio præstat, ne decidant poma absumpto humore tenero, & cum quadam fragilitate ponderoso. Culices ficarios pomis caprifici egredi Theophrastus est author, & pu-

trescētibus eorundem: granis gigni. Cuius indiciū adfertur, q̄ posteaquam euo-  
 larunt, grana ficibus nulla penitus inueniuntur. Exeunt magna ex parte pedem  
 aut pennā relinquētes in pomo: has Aristoteles Ionica voce p̄senas appellat. Sunt  
 & in fico centrīnæ dicti culices, fucis apum ignauia similes. Plura ficorū genera,  
 5 quæ ad nos ex alijs gētibus trāsire. Lydiæ sunt purpureæ: māmillanæ, mamma-  
 rū similitudinē habent. Callistruthiæ parū sapore præstantiores, ficorum omniū  
 frigidissimæ. Africanæ nonnullis præferuntur, cunctis celebratæ Carthaginis ex-  
 cidio: & aliæ ab Africanis Libycæ. Habentur & fulcæ & topiæ quæ dicantur. pa-  
 triæ nomē obtinēt Alexandrinæ. Candicat serina cognomine, delicata. nigra ex  
 10 Rhodia, Tiburtina de præcocibus. Sunt & authorū nomina ijs Liuiæ, Pompeiæ.  
 siccata hæ sole in annuos v̄sus cū mariscis aptissimæ. & quas arūdinei folij macu-  
 la variare dicitur, arūdineas ob id vocatas, à quibusdam alfulas. Est & herculana,  
 & albicerata & aratia alba, pediculo minimo: latissima porphyritis, longissimo pe-  
 diculo. Comitatur eam è minimis & vilissimis popularis dicta. Contra nouissima  
 15 sub hyeme maturatur chelidonia. Sunt præterea eadem serotina & præcoces,  
 biferæ alba & nigra, cum messe vindemiāq; maturescentes serotina, & à corio  
 appellatæ duræ. ex chalcidicis quarundam trifero prouentu. Tarēti tantum præ-  
 dulces nascuntur, quas vocant onias. De ficis serendis ita Columella memorat,  
 Ficum frigoribus ne serito: loca aprica, calculosa, glareosa, interdum & saxosa  
 20 amat. Huiusmodi agro citò conualescit, si scrobes amplos patentésq; feceris. Fi-  
 corū genera, etsi sapore atq; habitu distant, tamē vno modo sed dispari differē-  
 tia agri seruntur. Locis frigidis, & autumnī tēporibus, aquosis præcoces ponito,  
 vt ante pluuiā fructū deligas, locis calidis hyernas serotinas serito. At si voles fi-  
 cum quanuis non natura serā facere, tum grossulos, priorémve fructū decutito,  
 25 iterum alterum ædet, quē in hyemē differet. Nonnūquam etiam cum frondere  
 cœperūt cacumina fici, ferro summa prodest amputare, sic firmiores arbores &  
 feraciores fiunt: ac semper conueniet simul ac folia agere cœperit ficus, rubricā  
 amurca diluere, & cum stercore humano ad radicē infundere, ea res efficit vbe-  
 riorē fructum, & factum fici pleniorē meliorémq;. Serendæ sunt præcipuè li-  
 30 uianæ, chalcidicæ, africanæ, fulcæ, lydiæ, callistruthiæ, topiæ, rhodiæ, libycæ, hy-  
 bernæ, omnes etiā biferæ & triferæ. Ficus, vt Didymus posteritatis memoriæ tra-  
 didit, duobus anni tēporibus, hoc est vere & autumnō seritur: vernam tamē sa-  
 tionē magis desiderat, quippe cum arbor omnium ferè tenerrima & delicatissi-  
 ma gelicidia & glacies horret, ventósq; mirum in modum formidat, quòd cum  
 35 ruunt aut sæuiunt flatus, rumpatur. Ego tamen (inquit) Iulio mense toto plan-  
 tas disposui rigans, & transferēs, & poma mihi in arborem magnam adolescen-  
 tes peperere. Calidioribus tamē locis solo pastinato neq; admodū irrigato pangi  
 debent: siquidem aquarū copia genitiuam earum pulchritudinē natiuūmq; de-  
 corem tollit, opportuniorésq; corruptioni reddit. Alia serendi ratio: si quis ma-  
 40 ceratas ficos resti obducat, frequentiq; roret imbre, complures exhibunt arbuscu-  
 læ, quas oportet transferre in scrobes, vbi in hoc seminario nutriueris. Siquis vi-  
 uiradicē deponat, scyllæ bulbos interijci oportet: alij madefactam muria plan-  
 tam collocant. Melius tamē siue plantulam, siue ramulos velis serere, prius in bu-  
 bulo fimo madefacere conuenit. Sunt qui cum planta viuā calcem obruāt, sic sa-  
 45 tam suo domino decoquere negant: alij rubricā ablaqueatis radicibus iniiciunt.

Si in altitudinē luxuriari nolis, clauam in caput ferito: senescens tamē ficus ferti-  
 lior redditur. pangi etiam non illepidè potest ficarijs feminibus. Vermibus arbo-  
 res liberabuntur, si bulbi scyllæ infixi deponantur: quæ tamē ijs si scateant, calce  
 latebris vermiū aut radicibus insparfa necantur. Democritus adserit arborē fru-  
 ctus iacturam non facere, cuius caudex mororum succo sit illitus: nec amittere  
 velut ægram pomum, quum marino fuce radix obducitur, aut si quadrantibus  
 lunæ rubrica caudices oblinātur, aut caprifici grossuli, vel intorta ex ijs ferta sus-  
 pendantur. quapropter aliqui ramulum caprifici inserūt, & quotannis hoc idem  
 tentant. Si Pleiadum emerſu in excavatos scrobes quis pares aquæ & insulsæ a-  
 murcæ portiones infundat circum caudices, arbor sui fructus tenax pomū non  
 abijciet. Syluestris seu fera ficus, vt testatū reliquit Africanus, mansuescet, si tu-  
 sis & vino & oleo maceratis ramis, eo septem diebus roraueris imbre. Leonti-  
 nus ficū moro aut platano inferendam suadet. non modo vere, sed æstate, & ad  
 brumam vsq;. Grossos non decidere Africanus pollicetur, si circum ablaquea-  
 tam radicem quaternos salis sextarios inieceris, dein terræ obruas aggere. De-  
 mocritus refert, si quis fici esu, aluo deiectionē moliri cupiat, veratrum nigrum  
 cum lactuca marina, id est tithymalo tritum, radicibus arboris quæ deponitur,  
 inseret, & quæ nascentur poma, ventrē mouebunt. Præcoces ficos fieri idē pro-  
 mittit, si columbaceū fimum, piper, & oleum indideris. Florentinus, vt præcoces  
 æderet grossos, columbino fimo & oleo linebat. Pollere idē adfirmat aduersum  
 ferarum morsus pomum, quod antidoto theriacæ pubescens fuerit delibutum.  
 Cæterum vt varios fructus vna ficus exhibeat, ita vt pomū altera parte nigre-  
 scat, altera candicet, iubet Leontinus viticulas ramulósq; ficuum albæ videlicet  
 & nigræ, inter se vinculo distringi ac torqueri, ita vt germina misceri cogantur,  
 sic vt obruti, & stercoreati, & humoris rigatu iuti, vbi prodire cœperint, germi-  
 nantes oculi aliquo inter se annexu conglutinētur, & compactum germē in vnū  
 caudicē coalescat, qui bicolores ficos tibi pariet: sed bimam trāsferre plantulam  
 melius est. Sunt qui tutius huiuscemodi coitū moliuntur. Ficaria grana hac varie-  
 tate nobilia linteolo deligata ferunt, & quū res postularit, transferūt. Democritus  
 adfirmat, si quis in alterius rei effigiē deliniare contendat, ficulneum oculum ea,  
 quam voluerit referre, figura cōscribat, & poma vt asserit, hac specie prodibunt  
 insignita. De sycæ nomēclatura apud Græcos existit controuersia. Poetæ, vt A-  
 thenæus memoriæ prodidit, gigantē Sycæum nomine persequēte Ioue, à Tellu-  
 re eius matre in sycen, hoc est ficum conuersum fabulantur, vnde in Cilicia vr-  
 bi nomē sit inditum Syceæ. Pherenicus commemorat Oxylum ex Hamadrya-  
 de Sycen filiam sustulisse. Oxylum verò Orio parēte natum, sororis compressu  
 genuisse nucē iuglandem, cornum, populum, vlmum, vitē, ficum, & has Hama-  
 dryades vocari nymphas. Sosibius Lacon Libero patri fici inuentionē adsignat,  
 & ob hoc Lacedæmonij Sycitē Bacchū colunt: Naxij, vt Andriſcus & Agastenes  
 referunt, Liberū patrē vocari volunt Melichion, q̄ ficulnum fructū ædiderit, quē  
 melichen ijdē appellant. quare Liberū vitis inuentorē facie vitiginea: Melichiū fi-  
 culnea Naxij excudebant. Pausanias in Attica primū æditam ficū putat. Phytas-  
 lus Cererē (vt fama est) hospitio suscepit, dea verò beneficij nō immemor, arbo-  
 rē fici munere donauit, quod in eius monumento ijs numeris testatū relinquitur,

ενθα δ' ἀναξ ἥρωσ φύταλος ποτὲ δέξατο σελινῶ

ἀκμήναι, ὅτε πρῶτον ὀπαίρει, καὶ πὸν ἔφλωεν,

ἢ ἰσραὴλ σύκλω ἐνητῆν ἕλος ἰζονομάζει.

Athenæus confirmat Athenienses locum appellare Hieram fycen, id est sacram ficum, in quo primum reperta emicuit, quæ Athenis via vocabatur, quæ ducit ad Eleusinen. Idem Theophrasti testimonio fretus, tradit in Hellade, Cilicia & Cypro fici genus erupisse, quod pomum aduerso folio, grossum auerso sustineat, quum reliquæ arbores ex anniculo germine non nouo fructus ædant. Idem Theophrasti nixus autoritate prodit, ficum quæ cælum molle, caldum & humidum fuerit nacta, si calor arridet, germina euocare: vnde prodromi, id est præcoces gignuntur. præcoquas tamen, & si mauiis præcurrentes, laconicæ, & leucomphaliæ, & aliæ complures ferunt. Seleucus protericen fici genus sentit vocari, primitiuas eas ferentis. Habentur Athenæo authore & alia ficorum nomina: basilicæ, cirrhocæladicæ, fycobasilicæ, hyladicæ, farcelaphicæ, lapyriæ, picridicæ, draconticæ, leucophicæ, melanophicæ, creneæ, mytecæ, ascalonicæ. Leucericæ eadem ea putatur esse, quæ poma creet candida. Fico morbus peculiaris est auctore Theophrasto vermiculatio, bestiolas eas vocant ceraftas, stridulum animal, & sonitu exiguo constrepens: item patella, sed aliter quàm in olea, quoties videlicet radices imbrium superuentu quasi deglabrantur. Item maximè cradum, & radicationem noscit. cradum, quum rami, quos priuatim cradas in ficu vocant, inarescunt: radicationem, quum radices marcidæ contabescunt. Infestatur item scabie. Tentatur quoq; nonnullarum arborum modo vredine, quæ κλωθμὸς Græcis dicatur: nec secus tabe, quam ἔκπληξις appellant, quasi quidam sit stupor, rigorque, frigore & gelu aliosis annis contractus: item syderatione ἀεροβολισμὸς vocata. Hæc vna ex omnibus arboribus non floret. Senescunt ficus in arbore, antequam destillant gummi modo lachrymam, ob hoc Athenienses græas vocant earum folliculos, quos fici vt frumenti glumas Varro dixit. Ficaria quoq; grana Plinius frumenta nominat, quæ Græcis cenchramides vocantur. Succus maturiscentibus lactis, percoctis mellis. Tactus omnibus mollis, frumenta intus. Satiuarum succo cogitur lac, syluestrium nequaquam. Panis vicem & obsonij habent, passæ ac recentes quoq;. Athletæ hoc cibo vires aluere, priusquam Pythagoras exercitatos eos transferret ad carnes. Sale inueteratis & casei quoque loco vesci excogitatum est. Ex hoc genere sunt coctana & caricæ, quæ conscendenti nauem Marco Crasso omen fecere. Peculiares Syria habebat caricæ, & minoris eius generis, quæ coctana vocant, de quibus refert Martialis,

Hæc tibi quæ torta venerunt condita menta,

Si maiora forent coctana ficus erat.

Decoctum ficorum, vt tradit Paulus, pleriq; syræum appellauere, quod & de fruto quoque nomē est: Hippocrates fycion. Studiosis vocis abstineri ficis Demetrius Sceptius iubet, Egeſianactis Alexandrini exemplo motus, quod is tragædiarum actor optimus euaserit, quia fico octodecim annos abstinuisset. Daphnus medicus auctore Philotimo refert, musteas ficus & adhuc humetes melius & celerius reliquis pomis excoqui, nec reliquum cibum impedire, quo minus conficiatur: vim humorem glutinandi cogendiq; possidere: introrsum quipiam insidere, quod citam, facilem, fusamq; reddat aluum. Humorē non insulsum alicuius acrimoniæ participem præbere, si ex sale sumantur, sed qui celeri-

ter discutiatur. Argumento, quòd etsi magna vis earum ingeratur, paulopost inanita vacuitasque eximiè sentitur, quòd fieri non posset, nisi celeriter dissolutæ fatiscerent. Ocyus reliquo cibo conficiuntur, non modo quòd maiorem copiam quàm reliquæ frugis sumptitantes innoxie degimus: sed cum solito quidem cibatu præsentatæ, nullum nobis exhibent negotium, facileque calori cedentes, reliquum cibum excoqui minime vetant. Vis glutinatoria, & falsilago manifestè deprehenditur, quum & manus extergeant, & dulcis sapor indice lingua sentiatur. Quòd etiam aluum sine torminibus cieat, eamque læuiget, euidentius est quàm vt probari desideret. Salsuginem quandam licet læuem respiciunt, ideò nitrosa pollere vi dictum iam est. Heraclides Tarentinus non illepide in conuiuio quærit, an secundum ficorum esus, aqua calda vel frigida sit obijcienda. Qui caldam suadent præbendam, celeriter eam & abstergere & eluere causantur. ideò est simile veri breuiter calda dissolui, quòd calor facti partium diuortio extenuet, & in angustias ducat, frigus contra cogit. Cæterum qui frigidam aquam iubent præferendam, contendunt frigidi potus beneficio, quæ in stomacho residebant, grauitate quadam deturbari. siquidem æstuantem stomachum fici malè habent, & imbecilliolem reddunt: quare nonnulli secundum ficum merum præcipiunt offerendum, sic promptè recremèta ventris exigi. Sed & crebriore & largiore potu ab eo cibo vtendum non ambigitur, vt huius munere non immorantes, sed ad imos intestinorum sinus raptæ ferantur. Sunt qui fici meridiano esu abdicent, tum enim vt Pherecrates tradit morbum creant. Quare Aristophanes quum æstate ægrotantem quendam conspexisset meridiando, ficubus vsum prælagijt. Eubolus nobis cibo ficorum meridiano interdixit, morbum inde concipi testatus. Damnat itè Nicophon. siquis, inquit, ficubus comest meridietur, statim accelerans inuadit febris, quæ vomitum flauæ bilis eliciat. Diphilus Siphnius memoriæ prodidit musteas ficos paucâ sufficere alimoniâ, noxium creare humorem: sed facile aluo excerni, cibus emergentes enatare. verum eæ melius passis membratim digeruntur. Porro quæ appetite iam hyeme gignuntur, magna difficultate maturescentes, euadunt deteriores. Meliores habentur, quæ solis vigore expertæ per naturam ematuruerint. Cæterum quæ multo turgēt lacte, aut aquoso liquore madēt, stomacho quidē gratiores, & magis faciunt ad palatum: grauiorē tamē pōderosiorēsq; facilius descēdunt. Trallianę Rhodij respondēt, Chiæ & aliæ omnes deteriore succum pariunt. Sed duo prodigiosa naturæ miracula. Vnū, tauros quamlibet indomitos fico illigatos cicurari, & immobiles cōquiescere. Alterū, victimas cæsorūmq; animalium carnes perq̄ celeriter tenerescere, & fragiles effici, quæ in fico pependerit. Horū rationē iniuit Plutarchus in Symposiacis. Quum inter obsonia Aristionis coquus immolatū Herculi gallinacū gallum, recentē, tenerū, & penè friabilē obtulisset, tam citā teneritudinē fico acceptā referebat Aristio, contēdens iugulatas aues, etiā præduras teneritatē cōtrahere, quæ pēsiles adhæsero fico. Causam adfert Plutarchus. nanq; quæ auram halitūmq; vehementē ac validū expiret ficus, visus satis testatur. Fidem quoq; facit, quæ vulgo de tauris proditur: vt ferocissimus quisq; huic adligatus arbori, mitescit, tangiq; manu ac subigi tolerat, & efflans irā, animūmq; veluti flaccescentē deponit. tantis viribus pollet ea spiritus acrimonia, vt, ruat licet, sæuiatq; taurus, impetret furori. Siquidē arbor fici plus cæteris lacte copioso prægnans est, sic vt & li-

gnum, rami, pomū eo planè referciantur. Quapropter quum amburitur, fumus, quē eructat, & maximè mordet & vellicat. Lixius quoq; cinis crematorū maximè deterget, purgātq;. Quin & cogitur caseus ficulneo lacte, quod emittit arbor, si virentē faucies corticem. Cæterū munere caloris euenire volūt, vt iniecto succo lac coeat, qui humoris concrementū & aquosum colliquet. Proinde caldā acremq; auram ac digerentē ficus exhalat, quæ carnes alitum deficcet & concoquat, sic vt friabiles reddantur. Hoc idem euenit, si tritici aceruo obruantur carnes, aut penitus immergantur, calore videlicet hoc præstante: argumento, quòd frumētum in quo amphora vini fuerit obruta, confestim laticem depascit. Hos nos laudatas seruat in capsis. Ebuso insula præstantissimas amplissimásq;, mox in Marrucinis: at vbi copia abundat, implētur orcæ in Asia, cadi autē in Ruspi-  
na Africæ vrbe. Rationē seruandarum recentiū non secus q̄ in propria parente nobis Africanus explicuit. Ficus vbi maturitatē conceperint, reliquorū pomorū modo in matre cohærentes, non immanent, sed caducæ delabuntur, etsi quoq;  
nemo decusserit. Musteas perinde quasi in parēte seruari ad hunc modum constat. Cum vinaria dolia operculantur, in nouū fictile non rotundū, sed potius ex arbitrio quadratū fundóq; fultum missæ recentes ficus, minus maturæ, cum suis pediculis vmbilicisve, hoc est particula qua arboribus suis dependent lectæ, à se sic vt benè intercedat spatium secretæ, recluduntur, & in dolio vini pleno diligēter operculato natate permittuntur. Et nisi vinū contrahat acorē, tali habitu mansisse comperies, quali cōstabant quū iniectæ fuerant. Recētes quoq; seruari possunt, singulæ intra viridē cucurbitam clausæ, oculis vnicuiq; cauatis: & item spleniata quæ secatur tessera conclusis. suspensa ea in vmbroso loco cucurbita, vbi nec ignis nec fumus inspiret, verum vti antea dictum est, legendæ cum petiolis, quippe quæ diutius durēt integræ. Alij sic in melle disponunt ficus, vt neq; se inuicem, neq; vas tangant, dein indito operculo sinunt. Alij calicē vitreum, aut aliud quoduis perspicuum poculum, super ficos leniter inuertunt, & obducto cera spiramento ita relinquunt, sic manent immarcidæ. Docet Paxamus aridas ficos, quas vocant ischadas à putrilagine vindicari hac ratione, passæ sine villo cariosæ labis sensu integræ manebunt, si tres liquida pice imbutæ, vna in fictilis fundo collocetur, altera referto ficubus ad medium vase, tertia faucibus iam completo superponatur, plurimo tempore sanæ & vitio intactæ comperientur. Si in tegete, qualo, vel cratibus inditæ fici, calfacto furno post exemptum panem propendeant, & in fictilem & benè picatam fideliam condantur, diu seruabuntur illæ sæ. Sed eas cum fundo cui resides hærebant eximere conuenit, & candente muria ex oleo in sole rigare, conditiuásque collito vase luto, noctem vnam roris imbre sub dio conspergi, demum in cellas deferri. Alij cratibus expandunt toto sole ficcandas, & recipiunt nocte sub tecta. Caprificus erinos a Græcis vocata, q̄ in Erineo Thessaliæ municipio primum apparuerit, vt Phocioni placet: è syluestri genere ficus, nunquam maturescens, carpénsq; muros ac parietinas. Longè validior est quàm ficus & nodosior, nullis ferè vitijs obnoxia, vt etiā fico insita grossos suas tueri credatur. Prouenit è ficario grano: germinat ineunte vere: gaudet montibus: nunquam maturescit in ea pomū. Additur ficitis, vt culices alimēto in ea fraudati, euolantes in ficos ferantur, aut grossi ex caprifico lino velut ferta pertusi suspendantur, vt sole per culicū morsus immisso

& absumpto lacte, maturitati preparatur. hoc nostris caprificatio vocatur, à Græcis erinasmos & fycasmos. Si hoc desit, abrotoni virga suspenditur, aut callum quod in vlmeis folijs inuenitur, aut arietina cornua circa radices arboris obruuntur, vel truncus fici, quo loco lacte turget, scarificandus, vt possit humor effluere. Caprifici materies lenta & flexibilis. Interdum arborē inuadit scabies, quoties post Vergilias admissi sunt imbres vtique; parui: nam largis causa omnis eluitur. Caprificus viuacior fico. In Co insula non bifera modo, sed & trifera quoque creditur. Huic multo efficacior ad omnia vis, queis cibaria edulsiq; ficus medetur. Miraculum vnū præterisse piaculum fuerit. Caprificus taurorū quamlibet ferocium collo circumdata, traditur eos ita compefcere, vt immobiles maneant. Itidem Plutarchus de fico protulit, vt supra diximus. In Gallia transalpina Strabo similem fico nasci tradit arborem, fructu capitulum Corinthiacæ columnæ referēte, cuius lacte mortifero sagittas suas illinerent, infami temperandi venena cælo, non pridem aboleri cœpta eius rei nota Gallijs. Iam vires vtriusq; prosequamur. Fici recentes stomacho inutiles: ventrem resoluunt, qui facile tamen sistatur. Sudores & papulas mouent, ob id autumno insalubres putantur: quoniam desudantia huius cibi opera corpora refrigerant. Sitim sedant, caloremq; refrigerant: nec voci contrariæ intelliguntur. Siccis natura concalfaciēdi, sitim stimulant, vires alunt, molliunt aluum, rheumatismis eius & stomachi cōtrariæ, gutturi, faucibus, vesicæ, renibus propitiæ. A longa valetudine decoloribus, spiriosis, anhelatoribus, hydropicis, comitialibus magnificè vtilis. Corpus augēt, ob id antè athletæ hoc cibo pascebantur. Pithagoras exercitator primus eos ad carnes transtulit. Recolligētibus se à longa valetudine vtilissimæ. At coctæ cum hyssopo pectus purgant, tussim veterem & pituitam, & longa pulmonum vitia. Aluum molliunt cum croco & nitro manducatæ. Earum decocto collectiones arteriarum tonsillarūque gargarissantur. Vtile & decocti iure fœminas fouere cum fœnogræco & ptisana. Emplastris hordeacæ farinæ commode adijcitur. Cum ruta coctæ & infusæ torminibus profunt. Duritias in corpore tritæ & impositæ discutiunt. Parotidas & furunculos emolliunt. Panos ad maturationem perducunt, efficacius iride, calce viuua, aut nitro permisto. Crudis intritis eadem præstatur opera, imponuntur pterygijs cum malicorio, hoc est punici mali putamine, tiliarum vlceribus defluxione contractis, item maleficis, & penè in cicatricum obductu deploratis (cacoethe vocant) cum atramento futorio. Hydropicis coctæ in vino & absinthio & farina hordeacea linuntur: item crematæ pernionibus cum cera. Sonitus aurium incertos pruritūque tollunt, crudæ & cum sinapi in aliquo liquore inditæ. Syluestris & satiuæ fici lacteus succus aceti naturam habet. nam & coaguli modo lac contrahit, coactūque de nouo resoluit. Exulcerat corpora, & ora venarum laxat, aluum ducit. Locos fœminarum adaperit, cum amygdalo potus. Menstrua ciet cum luteo oui appositus aut cera Tyrrhenica. Podagris illinitur cum farina fœnogræci & aceto. Pios quoque detrahit, palpebrarūque scabiem emendat. lepras, lichenas, vitia cutis in facie, vitiligines, psoras, manantia capitis vlcera, cum polenta repurgat. Lactis ficulni natura instillati plagæ aduersatur scorpionum, crabronum, vesparūque & serpentium venenis & canis morsibus. Dolori dentium succus appositus in lana prodest, aut in cauis eorum additus. Idē verrucæ carne circum



lita tollit, præsertim quæ quendam pungentis formicæ sensum repræsentant, myrmecias appellant. Caprificus multo etiamnū efficacior fico, lactis minus habet, furculóq; eius lac coagulatur in caseum. exceptum id coactúmque in duritiam, suauitatem carnibus adfert. Miscetur exulceratorijs medicamentis. Posita menses cit cum luteo oui. aluum mouet: vuluam cum amygdalo aperit. Podagricis cum farina fœnogræci illinitur. Scabiem, impetigines, & lentigines expurgat: item venenatorum ictus, & canis morsus. Cauliculi & folia admisto eruo contra marinorum venena profúnt. Bubulas carnes additi magno lignorum compendio percoquunt. Lac quod ficulna rude spathæ loco inter coquendum agitatur, maiorem sibi soluendi facultatem adsciscit. Succus quum silent oculi, è ramulis iam gemma prægnantibus elicitur, siccatúsque in vmbra reponitur, efficax ad eadem. Coctæ grossi & illitæ strumas, nodos, omnémque collectionem emolliunt. Verrucas & thymos nitro farináque additis tollunt. Præstant hæc & per se folia. Grossuli cum aceto & sale vlcera manantia, epinyctidas & furfures sanant. Ficosis extuberationibus & asperitatibus palpebrarum adfricti proficiunt. Vitiligines albas emaculant è nigra ficu coliculi. contra canis morsus, & vlcera, quæ cerja, id est fauos vocant, cum melle linuntur. Grossi ipsæ cum papaueris syluestris folijs ossa extrahunt. Furunculos cum cera discutunt. Aduersus muré araneum, & scolopendræ morsus cum eruo & vino linuntur. Resistunt & sanguini taurino potu, cerussæ & lacti coagulato potæ. Fit è cinere ficus vtriusque crematis ramorum fruticibus lixiuia eo melior, quo sæpius iteratur: inuetèranda tamé adurendis & vlceribus quæ gangrænæ vitio periclitantur, consumèdis etiam quæ excrescunt. Vsus in spongia eo liquore imbuta, & subinde superposita. Dysentericis & fluxionibus vetustis infunditur. perluuntur ea grandes & cuniculosi sinus: glutinat enim, carne replet, astringit, absterget, hiantes oras committit, non secus atq; emplastra, quæ cruëtis vulneribus iniiciuntur. Bibitur ad discutendum sanguiné concretum, itè percussis, præcipitatis, ruptis, conuulsis, cyathis aquæ singulis ex olei exiguo, nuperrimè colata. eadem mësura celiacis, dysentericis datur. Etsi quis ea cum oleo perungitur, excalfacit neruos, cõuulsáq; & sudores elicit. venena gypsi, & phalangiorum morsus restinguit in potu. Item cum cera & rosaceo subacta ambustis cicatricem tenuissimam obducit. Illita ex oleo lusciosos emendat, dentiúmque vitia crebro fricatu. Strumas & parotidas discutit. Cortex tritus ex oleo ventris vlcera sanat.

¶ *Fraxinus.*

Cap. L X X X I I.

**F**raxinū meliam & mileā Græci vocāt, cognominántq; triozon, hoc est trinodé, q̄ ramos habeat prægrandes, ordinatos, parésq; numero, Galli *fresnā* nomināt. Arbos est procera, caudice tereti, leui cortice, spisso, tenui, rubro, ramis vtrinque pinnatis, folijs lauri, per ambitū leniter ferratis, non sine quodam marginis vel cacuminis aculeato callo, porracei coloris: semine minuto folijs ipsis incluso, amaro: radice multa, crassa & sublimi. Auctu facillima fraxinus, semē reddit æstate post vindemiā & Arcturū, cædi opportuna, malleolis & terebro nō improbanda, materie humidissima, fabricæ lectulorū vtili, multúmque Homeri præconio & Achillis hasta nobilitata: quæ in vsum & hodie quoque commédatur, vtpote enodis, crassiuenia, neruosa, leuis, subcrispa. Ea quidè quæ sit in

Ida Troadis tā similis cedro, si Plinio credimus: si Theophrasto, taxo, vt ementes fallat. Græci duo genera eius fecere, excelsum procerūq; ligno cādido, molliore, crispiore, neruoso, enodi: alterum humilium, scabriore, duriore, fusciore: sed folio laurus latifolię acutiori, lenitēq; per ambitionē serrato, cuius extreme marginum fibrę in molles spinulas occallescant: quanquā Theodorus *ἰδρυαθίζοντες*, id est subsidentes, nō *ἰπυκασθίζοντες*, id est aculeatas legat. Ramulos singulos quasi singula folia dixeris, adeò simul omnia coeunt, ita vt folio vnico credas ea constare: quoniā ab vno pediculo folia simul cuncta prorumpunt, & per ampla versus suum interualla tanquā per genicula continenter ordine pendeant, perinde atq; sorbo: inde non illepide Plinio pennata dicuntur. Internodia latiora candida, coniugationesq; plures, & folia longiuscula & magis angusta, coloris herbacei. cortex læuis, spissus, & tenuis, rubro colore. Radices crebre, sublimes, crassę. Carere hanc flore ac fructu in Troadis Ida credunt falso, etenim fructū fert in siliquis minutū, nucosum, qualem amygdalę, gustu subamaro. Fert & lauri modo fraxinus muscū & alia quędam astrictiora gustu, circinatq; & in orbiculos coacta, vt pilulę platani. Ea partim cū fructu emergunt, partim multo post nascuntur, vt & quę plecta, id est inuolucra plicamētave dicuntur. Læuis cauis madētibusq; locis gaudet: scabra sitientibus & saxosis. Alterā fraxinum bumeliā in Macedonia nominant, raro corpore, minūsq; crispo, amplissimā: ob id (vt puto) bumeliā id est grandem, non vt Theodorus, bubulam fraxinū dici crediderim. Quippe cum bu intentionis nota, magnis rebus præponi solet. quod perpulchrè Plutarchus in Symposiacis testatum reliquit. Aeolicis b pro p litera, pro *πλῆ* expuncto *λ* elemento *β* pronunciant, non bouē, sed magnitudinē intelligentes. sic bulimū quasi polylimon, id est immensam famem interpretantur. Sic bumeliā perinde quasi polymeliā, id est ingentē fraxinum obiter putauerim appellari. Alij situ discreuere: campestem enim esse crispam, montanam spissam volunt. Sunt qui natalibus discriminent. Montanam esse coloratiorē, robustam, leuem ac lentam. Campestem verò decolorem, raram, scabramq; assurgere. Fraxinus cōtra ferē cæterarum morem in planis, magis & materia & fructu commendatur. plurima in Nilo profilit. Fraxini, quia festinātius germinant, disponuntur Idibus Februarijs, plantis & ipsę nascētes, sed maritata, intercedente quincunciali ordinū spatio, in rectū se porrigente versu. Item fraxinum in anniculos scrobes circa Calendas Martias deponunt, quā velint arbuustinam vitē fulcire. ea nec ante trigessimū sextū mensem attingitur falce, vt seruētur brachia, dein alternis putatur: sexto anno q̄ optimē maritatur. Frondem fraxinē cibarijs boum Lucius Columella cōmendauit, quę post vlmē autumnō maximē probetur, non antē tamē utilis, q̄ vel imbribus, vel assiduis roribus maturuerit. Verū folia iumentis mortifera, cæteris ruminātibus innocua Plinius prodidit: in Italia nec iumētis officere. quę de taxo non fraxino Theophrastus interpretatur, inquit. Si iumēta (vt ferunt) folia comederint, emoriuntur: si ruminātia, nihil incōmodi patiuntur. fructūsq; taxi à nōnullis hominibus estur, suauisq; est atq; innoxius. Sed nominū vicinitas hoc prodētem Plinium videtur fefellisse, Græcis fraxinū mileam, taxum milon vocantibus. Parū sibi cōstaret Plinius, qui rē omnibus venenatis salutarē, iumētis lethalem, cæteris ruminantiū innocentē in Græcia, in Italia innoxia esse tradat, cum ipse contra serpentes succo expresso ad potū, & impositā vlcibus

opiferā, ac nihil æquè reperiri contendat: tantāq; est vis, vt idem est author, vt ne matutinas occidētēsve vmbas, quālibet spatiosas serpens arboris huius attingat, adeò ipsam procul fugat. Rei fides fuerit, vt Plinianis vtar verbis, experta, inquit, prodimus, si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius q̄ in fraxinum fugere serpentem. mira naturæ benignitas, priusquā eæ prodeant, florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittere. Si sola vmbra abiguntur, longè fuerit verisimilius & succo dato, & depastis frondibus veneficia depelli, non contrahi. Facit ad rem, quod agriculturæ author Didymus Florentini iudicio fretus, posteritatis memoriæ mandauit, Si serpens præsertim vipera aut iumentū aut hominem momordit, præsens esse remedium tenera fraxini cacumina terere, expressūmq; succum præbere bibendum ex mero, si febrim nō sentiant: febre verò tentatis, ex dilutissimo vino. Item tritas huius arboris frondes læsæ parti superponere. Satis absurdum fuerit mortifera esse iumētis fraxini folia, quibus & tritis & epotis venenum depellitur. Porrò conuenit inter omnes taxum arbore esse venenatam vmbra, nedum furculo & fronde. Siquidem, vt author est Dioscorides, in Narbonēsi prouincia taxus tam præsentis est veneni, vt siqui sub ea vel se deant, vel somnum captent, sæpenumero cōmorianantur. Algorem vniuerso molitur, strangulatq; ac celeriter conficit. Nostras magna ex parte flore caret & fructu: verum multos à radice mittit fungos ganeæ expetitos. Vidimus tamen frequenter baccas ex quadam fraxinea arbore ex rubro nigricantes, quibus per inopiam frugum annonæ rura vescātur. Ea arbor est fraxino aliquantum humilior, folio ferratiore, & per ambitum hispidiore, cætera fraxinum æmulatur, idè genus hoc fructiferū apud nos tantum putauerimus. Fraxinus contra serpentes pollet. folia medentur iocineris & lateris doloribus in vino. Aquam quæ subijta cutem extrahunt. Corpus obesum leuant onere, sensim ad maciem reducentes. iisdem folijs cum vino tritis, ad virium portionem, ita vt pueris folia quinq; tribus cyathis dentur: robustioribus septem quinq; cyathis vini. Viperarū ictus restinguūt & potu & appositu. Corticis cremati cinis lepras illinit. Ramenta ligni scobemque volunt perniciem adferre si bibantur.

30 **G**alla & pilulæ, Glandes, arbor Glans.

Cap. LXXXIII.

35 **G**alla apud Gallos gentilitium nomen retinet, Græcis cicis dicitur. pilula est inæquali superficie, salebrosa, in glandiferis arboribus, præter legitimum fructum proueniens, multiplici differentia. quoniam alia solida est, perforata alia. hæc nigra, illa candida: altera maior, minor altera. Nascitur omnis sole de Geminis exeunte, erumpens noctu semper vniuersa. Crescit vno die candidior. quæ si æstu feruente excipiatur, arefcit protinus, neq; iustam implet magnitudinem, sed intra fabæ capacitatem subsistit. Nigra diutius viret, crescitque interdum, vt ad mali perueniat magnitudinem. Hæc corijs tingendis vtilior, illa 40 perficiendis aptissima. Quæ glandem ferunt, omnes & gallam: sed hemeris, hoc est quercus optimam. Similem huic latifolia, sed leuiorem, multoq; minus probatam. Fert & nigram tingendis aptiorem. Optima comagena, deterrima ex robore. signū eius est, quòd cauernæ translucent. Gallam tam albam quàm nigram Martij exitu nasci author est Theophrastus, noctu erumpere vniuersam, cresce-

re vno die præter resinaceam: & si occupetur æstu, arefcere protinus, neq; ad iustum modũ grandescere, hoc est vt nucleo fabæ magnitudinẽ impleat: nigrã diutius virefcere, & magnitudinẽ mali nonnunq̃ capessere: gallam nigram siue resinaceã sine oleo flagrare. Galenus gallas eas scribit quæ gradescũt fungosæ, à rusticis vocari onicidas, quasi asininas, quòd ignauæ sint, & minus efficaces. Robur præter fructũ plurima alia gignit. Nam fert & gallæ vtrunq; genus, & quædam, vt idem tradit Theophrastus, veluti mora, nisi distarẽt fructu, cõtumaci duritia, plerunq; nõnulla colis effigiem repræsentantia: interdũ, quum perficiuntur, tauri caput imitantia: quæ cum prærupta dehiscũt, nucleũ ostendunt oliuæ similẽ. Nascuntur & in eo pilulæ nucibus non absimiles, intus habẽtes flocculos molles, lucernarũ luminibus aptos, qui & probè gallæ nigræ modo flagrẽt. Fert & aliã cum capillo comigerã pilulam, verno tẽpore melligeni succi tum gustu tum tactu. Gignunt & alæ ramorũ pilulas sine pediculo sessiles, parte cõcaua adhærẽtes, versicolores, quæ prominẽtes quosdam vmbilicos vel candicãtes, vel dispersa nigrarũ macularũ varietate notatos præmonstrent, medijs partibus colore cocci rutilantibus, quibus apertis putris inanitas cernitur, aliquãdo pumices. Sed rarò gignit, necnò è folijs conuolutas rariores pilulas, cõpressas, oblongas, super folijs quoq; tergo adhærẽtes, aquosis intus bullis, candicãtes quæ muscas creant. eæ maturefcẽtes tandẽ in gallas occallescẽtes durãtur. Glandes, quæ Græcis balani vocãtur, opes fuisse multarũ gentium alta etiam pace fruẽtium: necnò cum annonæ premeret inopia, arefactas moliri in farinam, spissariq; in panis vsum constat. Quoniã & per Hispanias glans secundis mensis inseritur, dulcior eadem in cinere tosta. Cautũ erat lege duodecim tabularũ, vt glandem in alienũ fundũ procidentẽ liceret colligere. Genera earum permulta. Distãt fructu, situ, sexu, sapore. nanq; alia fageæ glandi figura, alia quernæ, & alia ilignæ. Sunt & inter se generũ singulorum differentia. Præterea sunt aliæ syluestres, aliæ placidiores quæ culta obtinent. Iam etiã in montosis planisq; distant, sicut & sexu mares & foeminae, item sapore. Dulcissima omnium fagi, qua obsessos etiam in oppido homines durasse tradunt historiae. Fagi glans triangula cute clauditur, muribus gratissima, & idcò animalis eius vna prouentus. glires quoq; faginare proditur. Glandem, quæ proprie intelligatur, ferunt robur, quercus, esculus, cerrus, ilex, suber. Continetur hispido calyce, per genera plus minũsve item complectẽte. Illicis glans breuior & gracilior, quam Homerus appellat acylon. masculas ilices negant ferre. Glans optima in quercu atq; grandissima, mox esculo, roboris parua, cerro tristis & horrida, echinato castanearum modo calyce: sed in querna dulcior molliorq; foeminae, mari spissior, sed maximè commendatur latifoliae. Dissident quoque inter se magnitudine & cutis tenuitate. item alijs subest tunica rubiginis scabra: alijs protinus candidũ corpus. Probatum & ea, cuius in balano vtriusque ex longitudine extrema lapidescit in duritiam. Præterea alijs ouata, alijs rotunda, alijs acutior figura: sicut & colos nigrior, candidiorve, qui præfertur. Amaritudo in extremitatibus, mediæ dulces. Quin & pediculi breuitas proceritasque differentiam habet. Glans haliphloeo dicta rara, & quum tulerit amara, quam præter sues nullum attingit animal, ac ne eæ quidem si aliud pabulum habeant. Glans fagea suem exhilarat, carnem creat leuem, concoctu facilem & stomacho non inutilem. Iligna suem reddit angustam, nitidam, strigosam, gra-

uem: querna diffusam & ponderosissimam, & ipsa gladium dulcissima. Proxima huic cerrea traditur, nec ex alia solidiorem carnem gigni: iligna tentari sues, nisi paulatim ministretur, hanc nouissimam cadere. fungosam carnem fieri esculi, roboris, & suberis glandibus. Idæi apud Theophrastum dulcissimam glandem assignant fago: secundam hemeridi siue placidæ, quam quercum existimant: tertiam latifolia ex argumento dictæ: quartam haliphleo, id est falsicortici: vltimam & amarissimam cerro. Distant magnitudine, figura, colore vt idem tradit. Peculiare tamen fago & falsicortici, quod ambæ in sexu virili glandes parte postrema vtrinque lapidescunt: alijs in putamine, alijs in carne ipsa: ideoque detractis lapillis, concaua perinde atque in animalibus relinquuntur. Dulcissimam glandem ferre tradit eam, quam placidam, alij quercum nominant. Glandis caro crusta contegitur, succo dulci & melleo. Præfertur omnibus Iberica, vt Varroni placet, glans: seu balanos Theophrasto. Magna arbor, illæsa, consurgit folio myrti, longiore tantum, caudice carnosio, non recto, sed contorto. Fructus putamine vnguentarij institores vti solent. est enim odoris iucundi, sed fructus ipse inutilis, visu capparum proximus. Materies valida, tam ad alia quædam quam ad nauigia percomoda, ea Aegypti est alumna. Gallæ genera permulta: sed principalia diximus duo eius in medicine vsu præcipua, solidæ, perforatæ. Solida quæ & omphacitis vocatur, parua est, no dosa, pondere valens, nullo foramine peruia. Aliud genus inoffensæ rotunditatis, leue. Vis omnium siccandi. optima comagena. Excrescentia in corpore tollunt, profunt fluxionibus gingiuarum & vuarum, oris exulcerationi medentur. Nucleus comanducatus dolorem sedat, vbi dens cauus infestat impositus. Crematæ carbonibus dum excandescant, tum vino, aceto, vel acida muria restinctæ sanguinis proluuii supprimunt. Siftunt menses vuluæque procidentes, earumque fluxiones, insidentium fotu. Maceratæ aceto vel aqua capillos denigrant. Tritæ in vino & aqua dysentericis illinuntur, paronychij ex melle, vnguibuscum scabris, pterygijs, vlceribus manantibus, condylomatibus, vulneribus quæ phagedenica vocantur. In vino decoctæ auribus & oculis instillantur. Aduersus eruptiones & panos cum aceto imponuntur. Immaturæ ex ijs & aceto potæ lienem consumunt. Intertrigines & ambusta sanant. Pilulæ roboris ex adipe vrsino alopecias capillo replent. Glandes astringendi naturam obtinent, vrinam trahunt. Sed deuoratæ capiti dolores creant, inflationesque pariunt. Auxiliares vescentibus contra serpentium percussus. Duritias intritæ, quas cacoethe vocant, cum salsa axungia sanant, vehementioresque lichenas. Crudæ & intritæ collectiones tollunt. Succus decocti prodest contra toxica cum vaccino lacte potus. Idem pollet & membrana, quæ sub calyculo glandem obducit. In omnibus tam cortex, quam subiecta cortici tunica iuuat coeliacos, dysentericos, sanguinè excreantes. Illinitur serpentis plagæ. Resistit venentorum ictibus, fluxionibus, suppurationibus. Datur ex vino dysentericis. Tritus vulneribus vuluæ profusioni opportunis subditur in vellere.

## Genista, Iasminum.

## Cap. LXXXIII.

**G**enista fruticat ramis herbaceis, scabris, fronde minuta foliatis, flore luteo, apibusque gratissimo, semine lenticulis haud absimili, quod phasiorum modo siliquis innascitur. rami vitium vsu præstant. Genistam putio vocant, quoniam genu modo flexilis ad nexus sit, vel quia genibus medea

tur dolentibus. Flos genistis decerpitur luteus coronis texendis, quas circūseri al-  
 uearijs gratissimum: nanque cum alueorū mel eximitur, exitus illini oportet ge-  
 nista trita, ne apes diffugiant. Subeunt in montosa tingendis vestibis nascentes  
 genistæ. per arida loca genistam postulant, eius cum sit satis firmum, tum etiam  
 lentissimum vinculū. siquidem cum alia defunt vincula, genistæ firmiter adligāt.  
 Serendi tempus vere circa Calendas Martias, sed sicca loca desiderat. circa vi-  
 neam opportune feritur, quoniam idonea præbet vincula: feritur autem semine,  
 quod cum est natum, vel defertur bima viuiradix, vel relicta, cum id tempus ex-  
 cessit, omnibus annis iuxta terrā segetis more demeti potest. genistam vel semine  
 vel plātis in pastinato vel etiam sulco deponere oportet. ea vinculi vsum præ-  
 bet. flores apibus gratissimi. Dubitat Plinius an hæc quam Græci authores spartum  
 appellauere, cum è genista Asia faciat lina ad retia præcipua, in piscado du-  
 rantia, frutice madefacto decem diebus. Falluntur qui hanc eandem esse cū spartio  
 contendunt, quoniā genista folijs scatet minutis: spartio virgas fundit lon-  
 gas sine folijs, validas, atq; lentas, vinculorum v su præcipuas, vitibus festucandis  
 alligandisq;. Vtraque folliculos phasiolorū modo fert, & in ijs semen lenticulæ,  
 florem luteum: sed spartum violæ albæ, genista ferè piso similem. feritur, vt Co-  
 lumella tradit, semine, plantulis & viuiradice. Spartum sponte nascitur multipli-  
 ci tunicarum cortice, & quod feri nequeat, proprièq; aridi soli iuncus & terræ vi-  
 tium, quia nihil ibi feri aut nasci possit, noxium animalibus, præterquam cactu-  
 minum teneritate. Genistæ florem coronis addidere apibus gratissimū. Spartum  
 qui viderunt, iunci genus aculeatum repræsentāt, haud temere alibi q̄ in Hispania  
 nascens in sterili aridoque solo, quo nectunt funes & maxime rudentes. Sunt  
 qui, vt controuersiam dirimant, duo statuunt spartii fastigia, vnum quod geni-  
 stā vocauimus, alterū quod in Hispania & Africa funibus nascatur, lygea potius  
 dictum ab Athenæo: sed non posse in vnum coire genus multis refragantibus  
 vltro citroque scriptis, iam abunde declarauimus. Semen in folliculis phasiolo-  
 rum modo nascens, purgat sesquidrachma in aquæ mulsæ quatuor cyathis po-  
 tu matutino. Ramis cum folijs in aceto maceratis pluribus diebus & tuis succus  
 elicatur, ischiadicis utilis vnus cyathi potu. quidam marina aqua macerare ma-  
 lunt & infundere clystere. Perunguntur eodem succo ischiadici addito oleo. qui-  
 dam ad stranguriam vtuntur semine. Genista tusa cū axungia genua dolentia sa-  
 nat. calfacit & siccatur in altero ordine. Est huic non dissimilis, quam officinæ geni-  
 stellam vocant, Græci quantum aliqui suspicantur ericem, humilior tantum &  
 exilior, colore marini roris & penè folio, flore luteo, semine rufo, quod serpenti-  
 bus aduersari tradunt. Sed & frondis decocto muliebris natura ad sistendos cur-  
 sus menstruos. Eodem aluinis succurrunt potu. Sunt qui hanc esse putant quam  
 Galli *rosmarinum aculeatum* vel potius *iomarinum* appellāt, libanotidis folio, sed ri-  
 gido ac pungente, cuius floribus pastæ apes improbum mel conficiunt. nascitur  
 in arenosis secus vias flore melino. Iasminon vel iosme, etsi veteribus, vt arbi-  
 tror, incognitum fuerit, saltem Gallix, græcam tamen subolere videtur originē,  
 quasi dicas odorariam violam, aut, vt aliqui interpretantur, iosmenon potius  
 legētes, apiariam. nanque ad eius florem aluearibus gratissimū aduolant apium  
 examina, huius suauitate capta & odoris illecta iucunditate. *ieseminum* vulgo vo-  
 catur. Frutex attollitur procero sambuci caudice, longius reptans flagellis, di-

stinctionesq; & arundineos parietes in hortis opere topiario cōuestiens, sed iam  
 apud nos ambulacra hortenses attegias non illepida opacat venustate. Folium in  
 viridi nigrās, oblongum, fastigiatum, mucrone languido, magnitudine rosacei,  
 sed angustum, flore candido, præcipuæ suauitatis: quem oleo macerant, & tan-  
 5 tisper in solant, dum odorem omnem & floris oleum ebiberit, & ad v sus tandem  
 recondunt. Sunt è recentioribus qui iasmen vocitant, fortasse quòd violaceum  
 odorem repræsentet, triáq; iasmini vel iasmes genera cōstituunt. Albam colore,  
 cæruleá, & in Aegypto luteam, qualem in Italia nasci iam audiuius. hoc violæ  
 genus Persicum & Parthicū & omnino peregrinum vocauerim, lōgo interuallo  
 10 ab alba nostrate viola, nisi fortassis odore, distans. Vnguentum tamen ex eo flo-  
 re cōditum iasminum & oleum iasmelæon & iasme dicitur, quo Persæ Parthiq;  
 fœtentis animæ virus multitudine ciborum & ebrietate natum, accersita odorū  
 commendatione sum mouent, quæ vox admonere quempiam potest ex ea ferè  
 viola cōpositum intelligi quæ vulgo *ieseminum* vocatur. Mauritaniæ familiæ me-  
 15 dici Zambachum & eius oleum Zambachinum nominarunt, quod eo in genere  
 candidum profert florem. Maiore excalfaciendi resiccandiq; dote tradunt pol-  
 lere, q̄ quod luteum in Babylonico agro frequēs, vel cæruleū promat. Adijciunt  
 abscessu secundo calfacere, lentitiam pituitæ frigidis senibus digerere, folia tam  
 humentia quàm arefacta panos & impetigines tollere, humores discutere frigi-  
 20 dos, qui in aliqua corporis parte coierint, destillationibus opportunos iuuare, ve-  
 rum capitis dolorem ijs ciere qui calida præditi sunt natura, quibus etiá odoratu  
 crebriore sanguinē naribus elici pollicentur. Non sunt audiendi qui ieseminum  
 esse leucanthemū contendunt foliosam, flore candido, abrotoni odore: cum leu-  
 canthemo ramuli sint nunquam pauciores duobus, in diuersa tendentes, flos can-  
 25 didus, lilio rubro similis, semine nigro, lato ad lenticulæ dimidiæ figuram, multo  
 tenuiore, radice herbacei coloris. Illi frequentes, prælongi, qui topiarias horto-  
 rum fornices, vel testudinatas eorundem turriculas aut cōcameratos quoscunq;  
 sinus adoperiūt, vt subtus ambulantes ab sole possint vindicare. Folium in obtu-  
 sum mucronem turbinatum ex viridi nigricans, flos candidus præcipuæ cōmen-  
 30 dationis, quanuis & luteus & cæruleus inueniatur, sed viribus ignauior.

¶ *Halimus.*

Cap. LXXXV.

**H**alimus, vt Dioscorides scribit, in magno nominum ambitu est,  
 frutex & sepimēto vallari idoneus, similis rhamno, sine spinis, fo-  
 lijs oleæ dūtaxat latioribus. nascitur in sepibus & maritimis, lau-  
 35 data in cibus, folio instar oleris decocto. Halimon Latini, vt Pli-  
 nius ait, aureonē vocant. Cōuoluit se vt hedera. locis salis nasci-  
 tur, falsilaginemq; præfert. Est & halimon nō parui & ipsum in-  
 ter authores erroris. Asphodelon appellari halimum ab Hesiodo quidam falso  
 interpretātur: qui tamen error à Græcis peruenit ad Latinos. de eo discrepāt sen-  
 40 tentiæ. Alij fruticē esse dicunt densum, candidum, sine spina, folijs oleæ sed mol-  
 lioribus: coquitur autem hoc ciborum gratia. Alij olus maritimum esse dixerūt,  
 falsum, & inde nomen, folijs in rotunditate lōgis, laudatum cibus. Duorum præ-  
 terea generum, syluestre & mitius. Syluestri folia tenuiora sed maiores effectus.  
 vtrunq; prodesse dysentericis & exulceratis cum pane, stomacho vero ex aceto.

Vlceribus vetustis illinitur crudum, & recentiu impetus lenire perhibetur: ac luxatorum pedum, item vesicę dolores. Syluestre in sananda hominum ac pecorū scabie efficacius addunt: præterea nitorem corpori fieri si fricentur radice ea: semine linguę subdito, sitim non sentiri: hoc quoque mandi, & vtraq; etiam condiri. Crateias etiam tertium genus tradidit longioribus folijs & hirsutioribus, 5 odore cupressi, nasci sub hedera, maximè prodesse opisthotonicis, contractionibus neruorum, tribus obolis in sextarium aque. Galenus halimum in Cilicia prouenire copiosam, inibiq; folia recentis in cibos recipi & in vsum condita seruari scribit. Solinus halimon in Creta nasci tradit, mirabili si credamus effectu, quod admorsa ea, fames interdum nulla sentiatur, vt nomen inde inditum ei sit, quasi famem arceat, 10 propterea nec aspirationem prima litera recipiat. Nam & in authoribus inuenitur modo afflari, modo nudè scribi. Placet tamen spiritus, quoniam maritimu olus credatur & halmyris à falsilagine ab Aëtio dicatur. In viuis apud nos sepibus frequenter frutex, quem *blanceputam* rura vocant, gustu subacerbo in falsilagine tendente, quare mensis folia cum tenerescunt non essent ingrata, non 15 tamen apud nos sunt edendo, cum prope nimia habeantur olera, facileque in cibos vsuque condita reciperentur. Non me fugit Mauritanis molochia & atriplex marinum vocari, & ab accolis maris per oppida & vicos manualibus fasciculis cõpositum vñale deferri. Dioscoridi folia decoquuntur ciborum gratia. Radix drachmæ pondere in aqua mulsã pota tormina discutit. Rupta, cõuulsa mitigtat. eadem lactis vbertatem facit. 20

**Haliphloeos & Hemeris.**

**Cap. LXXXVI.**

**H**aliphloeos arbor est glandiferarū pessima, cortice atq; caudice crassissimo & plerunq; cauato, fungosq; Sola corde caret, nec alia putrescit in eo genere, etiam cum viuít. Quoniã & fulmine frequenter ictur, 25 quannis altitudine non excellat, ideò neq; ad sacrificia vri fas erat apud Aeoles. Eadem ferè semper sterilis, & cum gladem tulerit amara est, quam præter sues nullum attingat animal, ac ne eã quidem, cum aliud pabulum nanciscuntur. Alij haud adeò faciunt amaram, traduntq; in virili eius sexu glandem parte postrema vtrinq; lapidescere. Materies eius ædificijs inutilis est, neque non 30 carboni. Macedones tamen eius ligno ad axes vsi traduntur. sed hæc alterius erat generis, eĩsq; eadem cum ægilope. Haliphloeos, quæ, vt græco fatiffiat vocabulo, falsicortex, aut nonnunquã euthyphloeos, id est recticortex latinè verti potest. Theophrasto crassissimus huic codex, & plerunq; cauus ac fistulosus, pessima carboni & materiæ. Breui putrescit, quod ex arboris natura euenit, qua de causa 35 & ædificijs damnatur, & concaua inanĩsq; redditur. Sunt qui corde hanc volunt carere, & fulminis ictu solam deflagrare, quanuis altitudine non præstet. Aeolũ nonnulli neq; ad sacrificia lignis vtuntur. Hemeris quã aliqui placidam interpretantur, roboris genus est, trunco neq; erecto, neque læui, neq; excelfo, sed caudice in orbem comofo, contorto, sinuosq; confurgit multis ramorũ alis concaua, 40 glande omnium maxima & dulci: materie quidem robusta, sed quę fago sit infirmior. Theophrasto hemeris in orbem comat, torqueturq; in alas, crebro ramorũ sinu caua, materies valida, glans ei post fagũ dulcissima. Sunt qui hanc esse quercum existiment, quam mydion interpretentur; quibus facile accedo, fretus



Theophrasti testimonio, qui scriptum reliquit, eam quæ glandem ferat dulcissimam, quibusdam quercum, alijs hemerida, id est placidam vocari. Cæterum vtrique eadem adscribitur natura, præterquam à Plinio, qui parum diligenter glandiferarum arborum discrimina obseruasse nonnullis accusatur. Hanc inter quercum & placidam, vel si mauis hemerida, inuenit differentiam, vt in ijs arboribus, quæ maximam ferat glandem, hemeris vocetur, breuior & in orbem comosa, alijsq; ramorum crebro cauata: fortius lignum quercus habeat & incorruptius. ramosa & ipsa: procerior tamen & crassior caudice. Glandiferas arbores vna voce comprehendi posse latino sermone negat Plinius, quæadmodum dryos græco, vel etiam vetustissima Saronis voce, quæ Saroniaco sinui nomen dedit. Quibusdam vt Theodoro Gazæ, roboris appellatione contineri posse omnia genera videantur. Sanè dryos vocabulo omne lignum complectuntur, vnde gerandryon, quasi vetus dixeris ramale veteremq; arborè. Ergo roboris quaterna genera, quercus, robur, esculus, cerrus, quæ Græcis illis respondeant, hemeridi, ægi-  
 15 lopi, haliphlæo, platyphyllo, vt sit quercus hemeris, platyphyllos esculus, ægi-  
 lops cerrus. Theophrastus certe agriam dryn appellat, quam nostri robur interpretantur. Robur tamen quæ Theophrasto agria drys dicitur, licet pro cõmuni glandiferarum genere vsurpèt, ea tamen Plinio esse videtur, quam Gallicum nunc vulgus *chesnam* vocat. ea passim in syluis spectatur, folio latebrarum anfractibus  
 20 sinuosissimo, glade exigua, materie durissima. Nam & hæc sola præter fructum gallam vtriusq; generis, & fungos, & plurima alia gignit. Siquidem fert & quædam veluti mora, ni distarent arida duritie: sed hoc admodum raro. Fert & hoc quod pilon appellant, id pilula est nuci haud absimilis, intus habens lanuginem, quasi fungum, lucernarum luminibus aptum: nam & sine oleo flagrat sicut galla  
 25 nigra. Iam aliud producit, effigiem colis repræsentans, quod quum fuerit perfectum, tauri caput imitatur, fructu intus nucleis oliuæ simili. Parit & aliam inutilem pilulam cum capillo, tum tactu, tum gustatu, melligeno succo vere inficièntem. Creant adhæc alæ ramorum eius pilulas, sine pediculo sessiles ac versicolore. Enimvero eminentes quidam vmbilici candicant: cætero varietas dispergitur: media cocci rubore punicant: apertis amara putris & nigricans subest inani-  
 30 tas. Profert & rubentem capillum: sed frequentens aquosos nucleos albicantes & translucidos, quandiu teneri sunt, in quibus & pumices nascuntur, indurescetes gal-  
 læ modo, vbi ad iustum incrementum venerint. ij folijs à tergo adhærent. Nascuntur è folijs & aliæ conuolutæ pilulæ, compressæ atq; oblongæ in folio rubentes. Fert  
 35 & robur cachryn: ita vocatur pilula in medicina vrendi vim habens, postquam folia cecidere, hyeme durans. Cõtinet nucleum pineis similem. is crescit hyeme, aperitur vere pilula tota, cadit cum folia cõperint crescere. Tam multiferum est robur, vt & viscum & mella pariat, & vt author est Hesiodus, constatque rores melleos è cælo cadentes non alijs magis insidere frondibus. Cremati quoq; robo-  
 40 ris cinerè esse nitrosum manifestum est. Fert boletos suillos gulæ nouissima irritamenta, quæ circa radices gignuntur, quercus probatissimos, robur noxios. Pro-  
 mit & vt aliæ glandiferæ, agaricum. est autem fungus candidus, odoratus, antidotis efficax, in summis arboribus nascens, nocte relucens. Signum hoc eius, quod in tenebris decerpitur. De robore, quam Theophrastus agriam dryn ap-  
 45 pellat, variant sententiæ. alijs femine, alijs etiam radice quanquam sero, alijs trun-

co nasci contendentibus. Item alij eam florere putant: alij negāt, sed floris loco muscum ēdi credunt. Fructificat post autumnum circa Vergilias occidentes. ramos habet incōditos: folia lateribus sinuata, quæ non ex ramis modo, sed etiā ex caudice pendeant: succum dulcem: crassum corticem atque scabrum, in senectā maximè: radices multas & altas. Porrò reliquæ arbores, vt cœpere continenter germināt, solæ robur, abies atq; larix germinatione terna parturiunt, corticemq; inter squamas spargunt, ac deinde rumpūt: ob id trislepri vel trislipi vocatæ, hoc est intermissariæ, vel trisquamie. Roboris cachrys dicta nonnullis amentum appellatur, de qua supra diximus. Tardissimè robur cæditur hyeme ineunte, antè cum turget, celerrimè computrescit. Tempestiuè cæsum neq; cariẽm sentit, sed prædurum & ad cornus similitudinem spissatum edurat, totum enim cordis specimen præfert. Non desunt, qui tempestiuum putent vere, cum amentum, id est cachryn suam gerit. Medullam huius inter spissa cōmemorant, melandryon vocatam, æterna in aquis materia, sed dulcibus: mari putrescit, cōtrā quàm magna pars arborum. Hæc tamen & mari vtilis, sed nauibus, & ædificijs quoq; cæteris quæ terra obruantur. Carbores è robore annofo & nouello damnāt, media ætas in pretio est. Robur tamen nonnunquam ponderi cedit, nec vt abies & pinus renititur: sed interdum frangitur. Roborea materies in opere difficillima, q̄ crispa fit, nodosa, conuolutionibúsq; perplexa, prædura medulla. Siquidem terrenis principiorum satietatibus abundans parúm q; habens humoris, cum operibus in terrenis obruitur, infinitam trahit eternitatem, ex eo quòd cum tangitur humore, non habens foraminum raritates propter spissitatem, non potest in corpore recipere liquorem: sed fugiens ab humore resistit, & torquetur, & efficit in quibus est operibus ea rimosa: sic robusta ea materies. Fluuijs & lacubus demersa nulla marcoris tabe conficitur, sed mari putret, macerata conditáq; quasi dulcibus gaudeat, & falsas horreat aquas, nisi sal humida non sicca à corruptionis vitio vindicet. Cæterum sunt, qui haliphloci nomine robur putēt comprehendere, quod compertum non habeo. nec parua fuit difficultas prodere, quibus Græcis latina congruerent. Quidam quatuor suprascriptis fastigijs duas addidere species, fagū & ilicem. sed toto genere distant, vt paulopost differemus, vt cognatæ potius q̄ congeneres sunt habendæ. Sibari qui nunc Thurij dicuntur, quercus fuisse traditur in oppidi conspectu, fronde perpetua, Varronis testimonio. Theophrastus scriptum reliquit in agro Thurino, vbi vrbs Sibaris fuit, perspici quercū vnā nunquam folia dimittentem, quæ nec germinare cum alijs, sed ab ortu Caniculae solita sit. Quercus auida crescendi, rarum est, quoniam fata deterior eueniat, dulcissima ei glans post fagum. Macedones, quæ dulcem gladem producat, etymodryn quasi dicas veriquercum appellāt. Nasci quercus in rubro mari glandiferas tradunt: nasci quoq; in alto propiores terræ Theophrastus prodidit, super lapides atque testas fictiles sine radicibus, sed patellarum modo adhærescentes, folio carnosio, crasso atque oblongo, myricæ simili, accedentis ad purpuram coloris. Forma ei flexuosa, atque in latitudinem diffusior, ramis breuibus, cōtortis, spissis. magnitudo arboris tota paulo sesquipedem amplior. Hac mulieribus lanæ tinguntur. Ramis earū annexè pendent conchæ quædam & cauitibus parte ima, vbi millepedes, & aliæ generis eiusdem bestiolæ, quòdque polypi specimen gerit, populantur. Alteram quercum in mari nascentem refert glandiferam, cuius fru

ctus sit commodus. Item alias magnitudine insignes: sed ea naufragis & vrinantibus cōperta sunt. In Lusitania profundo mari quercus gládiferas innasce, vnde thunni vescátur, author est Polybius: ob id thunnos qui dicat marinos esse suos, minimè discesserit à vero, vt inquit Athenæus. Carinas nauibus quernas subijci præcipiūt maximè triremibus. Abieti aut pino larici vocatę ferruminari quercus non potest, in sociabili natura, q̄ hæc spissa corpore sit, illæ textu raro. Caucis vt est Plinius author, circa duos præcipuè lacus litora ipsa quercus obtinēt, maxima auiditate nascēdi, vt suffossæ aut fluctibus propulsæ flatibus, vastas cōplexu radicū insulas secū auferāt: itaq; libramento eo stantes nauigant, ramorūmq; ingētium armamentis sæpe territa Romanorum classe noctu, inito contra arbores prælio. E glandiferis ciuicas coronas necti mos erat, quæ omnibus anteferrētur. Ciuica iligna primo fuit, postea placuit ex esculo Ioui sacra. Variatū & hoc cum quercu est, ac data quæ vbiq; fuerat. Nō est prætereundū Alexandri Macedonis inuentū, seruandæ niuis in scrobes, vbi ea sit, cōiectis è quercu ramis. Saronicū in Pelopōneso sinū esse Plinius tradit, olim querno nemore redimitū, vnde ei nomē ita antiqua Græcia appellante Quercū. Omnis astringēdi vim habet, præsertim interior & subiecta cortici tilia, quæ ligno mēbranacea cohæret, quinetiā tunica putamini glandis subiecta. Decoctū ex ijs datur dysentericis, cœliacis, sanguinē excreantibus. Trita in pessa fœminis fluxione vuluæ laborantibus subditur.

☞ *Hedera.*

Cap. LXXXVII.

**H**edera satis omnibus inimica, sepulchra ac muros rumpens, serpentū frigori gratissima: quę etsi crescendo arborum magnitudinem æquat, frutices eam tamen sibi vendicarunt, nec sub hedera comprehenduntur, quæ repunt humi, de quibus dicitur in chamæcisso. Plurimas, vt Dioscoridi placet, sigillatim habet differentias, sed summas species omnium generum treis. Candida fructum candidum fert. Nigrum nigra vel crocatū, quam vulgo *dionysiam*, id est bacchicam vocant. Tertia quæ nominatur helix, nullum parit fructum, tenuibus sarmentis, folijs paruis, angulosis, concinnioribūsq;e. Sic excelsarum tria sunt capita. Citton iuuenem Græci fabulantur dum coram Libero patre saltibus & choreis indulgeret, in terram fuisse deturbatum: Tellus Bacchum magnis honoribus extollens, cognominem gentilitiāmque viticulam ædidit, iuuenili pullulatu frondentique virore perpetim emunitam, quæ tamen tripudiorum modo complicita circumflectatur. Hedera, vt Græci prodūt, aquis gaudet. seritur à Calendis Nouembribus ad Martias vsq;. decoros dabit corymbos, si ternū conchyliorum crematorum cinere conspergatur, aut alumine rigetur. Nigra vertitur in candidam si terra alba madens humore, octo dierū spatio radicibus infundatur. Damegeron est author, si hederæ nigræ tres taleolæ in mundo linteo ligatæ filo, in amuleti modum lienosis adpendantur, gestantes infra triduum hoc vitio liberabunt. Nigra Francis *lierra* dicitur. hæc vbiq;e per parietes reptat, arborēsq;e radicosis amplectitur brachijs, in totum fruticosa. folia primum cum pubescit angulosa, cum plurimum in triangulam faciem exeūtia. vetustiori rotūdantur, pinguia, dura, immortalī virore, flore exili, vitigineo, bacis primū herbaceis, mox atris, & nōnunquam croceis, longiori pediculo in vuæ modum dependentibus, sparsioribus racemis nō in globū candidę modo coeun-

tibus, sed in acinos discretis, radice numerosa, densa, flexuosa, cōtortáq; ac surculosa, nec admodū profunda. Hedera vbi ocepit sementescere, germen sublimē rectūmq; agit, sempiterna coma viret. Ideo huius coronis poetæ vtebantur. Hæc sæpe veteres fulcit macerias, quas tandem vincientis glutini raptu demolitur. Candida in duplici discrimine, quoniã vna fructu tātum candet, altera folio, quæ corymbis duntaxat albicat, densus acinus ei & grandior, racemis in orbem circūactis, qui vocātur corymbi. Hæc corymbias & Athenis acharnicū irriguum dicitur, vt silenitiū cuius est minor acinus, sed sparsior nigre modo racemus. Arborea hæc suo cōplexu strangulat, totūmq; humorem exugendo necat, succiq; largioris haustu, tanta crassitudine coalescit, vt in iustam arborem euadat. Signa eius, folia maxima atq; latissima māmas erigentis, hoc est germina, quæ sunt cæteris inflexe, racemi stātes atq; subrecti, radicoſa huic brachia & maxime ramosa robustaq; sed ab ea nigra. Albæ tamen proprium est, q̄ inter media folia emittat brachia, quibus arbores complectitur, & parietibus obrepit. Muris quoq; pertinacius hæret quàm vt possit abire, ita viuax est vt pluribus locis intercisa duret, nec emoriatur, & totidem initia radicū habet, quot brachia, quibus incolumes & solitas arbores ita fugit, vt inopia cibi confectæ tabescant. In nigra alijs acini dulcedo, alijs tanta amaritudo, vt aues nō attingant. Helix, quā aliqui clauiculam verunt, à cæteris sterilitate distat, quoniam fructū non gignit. Parua huic folia, angulosa cōcinnioraq; longis ramorum internodijs, tenuibus viticulis sine corymbis, infœcunda. Herbarij bifariam nunc nominant, quæ sessilis caduca serpit humi, terrestrem vocāt hederam: quæ vero fruticem naçta clauiculatim irrepit, arboream. Quidam hoc ætatis vitium putauerunt, primūmq; helicem existimant fieri, & postmodum hederam senectute. Quorum error à Theophrasto & Plinio refellitur, tum q̄ folium & germen helicis ab hederæ quamlibet annosæ, frondibus plurimum discrepet, tum quòd plures eius differentię noscantur, tres potissimū insignes. Herbacea ac virens, quæ plurima est. Altera candido folio. Tertia versicolor quæ thracia vocatur. Herbaceæ tenuiora folia in ordinē digesta, densioraq; in altero diuersa omnia. In versicolore alia folijs crebrioribus ac similiter ordinatis densioribúsq; in altera neglectis inconditísq;. Macularū etiã habitu distant, sed hæc morosa nimis & anxia Theophrasti discrimina, quandoquidē ætatis potius q̄ generis discrepantiæ videri possunt. Adoleſcit in longitudinē maxime herbacea. Nunc reuertamur ad hederam, cuius mira proditur natura ad experiūdas vini fraudes. Si vas fiat ex ligno eius, vina tráfluere ac remanere aquā si qua mixta sit: quod nobis Cato documētū libello de re rustica dedit. Si voles, inquit, scire in vinū aqua addita sit necne: vasculū facito de materia hederacea, vinū quod putabis aquā habere eodem mittito, si dilutū aqua fuerit, vinū effluet, aqua manebit, nam nō continet vinū vas hederaceū. Vfos in funes & armamēta nauū hedera veteres, author est Athenæus, quā è Rhodano petebāt vt canabim. Atheniēses, vt tradit Pausanias, apud se primū natam hederā & Acarnis vico prodisse testantur. Syluestre hederam cerui phalangio percussi mandūt, & eo cibo liberantur, Aelianus est author. Meminit agrestis hederę Columella, cōtra papulas equorū. In omnibus tamen exēplaribus agrestis hederę loco, agrestis herbæ scriptū inuenitur. quē locū ex veterinaria restituimus, vbi hæc Columelle verbo tenus graece legūtur, εἰ θέρμωτατον ἤλιον σίχης τὸν ἴσπον μὲν φύκισα εἰς τὸ σῦτον ἀκρίβει, ἄχρῖς ἢ αἰματὸς ἴσπος

ἀδὴν ἔλκεται, καὶ πλωικαῦται λαβάν κίαντα εἶλαν ἀγρίαν, καὶ θαῖον, πίασεν ὑγρὰν, καὶ συμπηλείαν, καὶ μέλας πάντα  
 καὶ ἀναθερμολύσας ἀπὸ γῆς πλὴν ψάρον. quod adverbū Columella latinè sic tradidit, Papule  
 feruētissimo sole vsq; eo strigile radūtur, quoad eliciatur sanguis, tū ex æquo mi-  
 scētur radices agrestis hederæ, sulfúrq;, & pix liquida cū alumine: eo medicamine  
 5 prædicto vitia curātur. Hæc, vti locus ille Columellæ emendaretur, obiter adieci-  
 mus. Sed res exigit vt nō nihil de duobus primis hederæ fastigijs differamus. Pli-  
 nius, vt nōnullis videtur, decimo sexto libro, Theophrasti fretus autoritate, duo  
 genera eius prima statuit, marē & fœminā. Maior traditur mas corpore & folio  
 duriore, ac pinguiore, & flore ad purpurā accedente. Vtriusq; flos similis est rosæ  
 10 syluestri, nisi q̄ caret odore. Theophrastus sexto stirpiū, vt mēdo sus habet hoc lo-  
 co græcus codex, duo fecit hederæ genera, marē & fœminā. Quoniā altera maius,  
 durius, pinguiūsq; foliū habeat, florémq; ad purpurā inclinatū, ambobus tamē flo-  
 res syluestribus rosæ proximi, minores, sine odore. Quæ etsi ita à Theodoro ver-  
 sa sint, mihi tamen potius de cistho q̄ de hederā tradi vidētur. faciliq; fuit græ-  
 15 corū librariorū lapsus, qui cisson pro cistho scriptitarunt. parūmq; sibi constaret  
 Theophrastus, qui tertio historiarū trina summātim genera patere declarat, & se-  
 quēti sexto duo tantū genera retulisset, solo sexu discreta. Quotusquisq; florē vi-  
 dit in hederā rosæ syluestri similē, in mari ad purpurā tendentē, in fœmina magis  
 ad candorem? nēpe flos in hederā plane vitigineus spectatur, exilis admodū, non  
 20 inodorus, sed grauē potius spirans odorē. Hæc itaq; de cistho dicta creduntur, cui  
 sexus vterq; redditur à Dioscoride, flos masculo punicæ, fœminæ candet, vterq;  
 tamen rosaceus. Item Plinius vigesimo quarto volumine duo cisthi genera fecit  
 discerniculo sexus insignia, flos masculo rosaceus, fœminæ albet. Hesychius au-  
 thor est cisthū fruticē esse cuius sit mas & fœmina. De cistho verba Theophrasti  
 25 nō de hederā fuerant intelligēda, vidēturq; vicinitas vocabuli Plinio imposuisse,  
 quæ sequutus Theodorus, in eūdem errorē collapsus est. In exēplaribus Græcis  
 cisthos legendum non cissos, cum rosacei flores nusquam inueniātur in hederā,  
 sed prorsus cistho respondeant. Sed de ijs in mētionē eius tractauimus. De hede-  
 ra Plutarchus dubiam attulit in Symposiacis, An calida frigidāne donaretur na-  
 30 tura. Nec ab re, cū in risum fusus Ammonius, demiraretur hūc fruticē in corol-  
 las torqueri, qui suo frigore merū restinguere credatur. Sed calorū multa noscū-  
 tur indicia. Primū baccæ vino promiscuæ temulentia pariunt, igneāq; vi turbantē  
 corpus tentāt. Quin & reuulsa hederæ sarmenta non aliter q̄ ligna ignem ex-  
 perta conslecti ferūt. Porrò nix subinde multos dies alijs arboribus infidet: ve-  
 35 rum hederam celerrime refugit. Confestim autem eam attingēs euanescit, & in  
 ambitu non nisi calorū munere liquatur. Sed longe maximum est argumētum,  
 quod Theophrastus historiæ prodidit, cum Alexander Harpalum iussisset græ-  
 canicas arbores Babylonijs hortis inserere, præsertim vt locis hisce calidissimis  
 igni æstūq; flagrantibus, vmbra lucorum, frondosis stirpium comis, incommo-  
 40 da calorū propulsarent, solam hederā nō comprehendisse tradit. quāuis audiens  
 dicto Harpalus, vt in ea regione pangeretur, multū laborauit, & totā impendit  
 operā: intabuit tamē & prorsus exaruit, quoniā ignea eius natura feruido solo mi-  
 sceri respueret, non inueniēsq; tēperamentum, à priore desciuit ingenio, siqui-  
 dem exuperantiæ vires destruunt. ideo contraria magis exposcunt. Quod cali-  
 45 do gaudet, frigidum est: quod frigore lætatur, calidum erit. Quinetiam quæ fri-

gore rigent arbores, ob caloris inopiam imbecillitatēq; stirpem deserentis folia dimittunt. Hedera perpetua coma viret, & pingue & calorem lauri aut oliuæ modo seruans. Neque Bacchus, quòd ebrietatem representaret aut aduersaretur vino, hederam induxit: sed Plutarchi sententia, sicuti amantes vini cum eo carent, hordeaceo potu vtuntur, sic anni tempestates imitatus, cum vitigineam coronam desideraret, nudamque & frondibus viduam vitem contemplaretur, hederæ similitudinem cœpit adamare. Etenim sarmentorum clauiculæ vt viti diuagantur, vltro citroque frondes offunduntur, sed maxime corymbi planè pubescenti vix aut adultæ similes, quendam vitis habitum mentiuntur. Cæterum si quicquam ad temulentiam conferre dicatur hedera, id non caloris ratione fieri fatendum est, cum cutis spiracula laxaret, & merum potius concoqueret. Hanc itaque rem controuersam diluit Triphon medicus, qui hederam refrigerare & astringere contendit, in quem modum sæpius vsurpauerat. Ebrietatem ciere hederam vino mixtam it inficias. Siquidem noxam quam præstat bibentibus, temulentiam nemo fatebitur, sed perturbationem mentis, deliriumque, quale hyoscyamus, & alia pleraque concitant, mentem ad insaniam mouentia. Sarmenti contorsio huic vernacula, non contra naturam, vt lignis ignem expertis, quæ curuari solent, calore natiuum humorem depascente, quòd congenitus calor & nutrit & auget: sed potius hæc flexura humilitasque pumila, frigori vel imbecillitati ferenda est accepta, quæ maxime ijs iniurijs patet. Complexum, fulturam, adminiculūque desiderant, quæ sese non possunt erigere penuria caloris caduca. Nix vero colliquescens profluit propter frondium humorem. Siquidem aqua restinguit & incidit fungosam niuis laxitatem, quæ non aliud est quàm exiguarum densarūque bullarum congestus. quare frigidis asperginosisque locis, citius quàm sole illustratis niues colliquatæ funduntur. Nec immortalis hederæ coma caloris, frigorisve noscitur argumentum, cum myrtus, quæ in frigidorum classem asseritur, perpetuo vireat. Empedocles spiraculorum meatūque quandam mediocritatem causatur, quæ nutrimentū æqualiter eliciant, & humidi iacturam refarciant. Sed cur hedera in Babylonia non vixerit, id causæ non fuit calor, sed magis reclamans frigus, contrariam non ferens regionis conditionem: cuius cælum tam graue ac æstuosum offundi tradunt, vt vtres aquæ plenos quibus indormiscant negotiatores, exiccans exhauriat. Hederam calidam & siccam esse Theophrastus prodidit. Galenus contrarijs viribus constare: nempe quæ non nihil habeat astringentiæ quæ terrestris & frigida demonstratur, & acrimoniam possidet, quam esse calidam testatur gustus. Odit calores, & frigus adamat hedera. quare feruidis minus potest provenire. è germinibus suis quàm primum radices dimittit omnium maxime viuax, siue arbores scandens amplexave perstringat, seu subiens ima per terram vagetur, semper tamen aliquid quærit in quod incubet, quo velut adminiculo fungatur. Et iam quod est mirabile, visam esse in cornibus cerui Theophrastus posteritatis memoriæ mandauit. Profilientes vndique surculis radículas spargit, facile proreptans suo perstrictu vel vmbra: noxam arboribus infert, pabulum eisdem summoiet, infixam quoque rapit, omnium quæ arboribus hærent molestissima: nam cum fronde vireat sempiterna, proinde copiosum desiderat alimentum, & cum polleat viribus, vndique allicit ad sese: cum arborum summa

complectitur, penitus eas exiccat. Omnia genera eius astringunt, vrinam ciunt  
 potu, capitis dolorem sedant, præcipuè cerebro, continentiq; mēbranæ vtiliter  
 mollibus impositis folijs, cum aceto & rosaceo tritis. illinuntur autē fronti, & de-  
 cocto eorum fouetur os, caputque perungitur. lieni pota & illita profunt. De-  
 5 coquuntur & contra horrores febrium eruptionesq; pituitæ, aut in vino terun-  
 tur. Illinuntur decoctu in vino omnium vlcera generi etiam si cacoethe sint:  
 sed natura omnium in medicina anceps. mentem turbat & caput purgat largius  
 pota. neruis intus nocet eisdem adhibita foris. Corymbi poti vel illiti lienem fa-  
 nant, item iocinera. trahunt & menses appositi. succus hederæ tædia narium  
 10 & graueolentiam emendat. item infusus naribus caput purgat, efficacius addito  
 nitro. Infunditur etiam purulentis auribus aut dolentibus cum oleo. Cicatri-  
 cibus decorem reddit. Acini ex alba terni in aceto mulso poti tineas pellunt. in  
 qua curatione ventri quoque imposuisse eos vtile est. Hederæ baccis auri colo-  
 ris viginti in vini sextario tritis, ita vt terni cyathi potentur, aquam quæ cutem  
 15 subierit per vrinam educit. acini qui croci succū habent præsumpti potu, à cra-  
 pula tutos præstant. Hederæ nigræ candidiores corymbi poti, steriles etiam vi-  
 ros faciunt. Erasistratus acinos quinque tritos in oleo rosaceo calfactosque cor-  
 tice punico instillauit dentium dolori à contraria aure. denigrant capillum co-  
 rymbi. Flos cuiuscunq; generis trium digitorum carptu, dysentericos & aluum  
 20 etiam emendat in vino austero bis die potus, ambustis illinitur vtiliter cum ce-  
 ra. lachryma hederæ psilothrum est, phthiria simque tollit. Radicis succus in ace-  
 to potus contra phalanga prodest. Tradunt huius quoque ligni vase spleneti-  
 cos bibentes sanari. Sunt qui incidant eoque vtuntur ad erosos dentes, frangiq;  
 adfirmant, proximis cera munitis ne lædantur. Acinos aliqui ferunt, mox com-  
 25 burunt illinentes ambusta, perfusa prius aqua calida. Gummi etiam in hederæ  
 quærunt, quod ex aceto dentibus vtilissimum promittunt. Natura omnium, vt  
 testatur Dioscorides, astrictoria est & acris, neruos tentās. Flos trium digitorum  
 carptu aquam intercutem emendat. in vino bis die potus ambustis vtiliter illini-  
 tur subactus cum cera. Recentia folia ex aceto cocta vel cruda cum pane detri-  
 30 ta lienibus medentur. Foliorum & acinorum succus cum irino vnguento, melle,  
 aut nitro, naribus infunditur cōtra veteres capitis dolores. is caput cum aceto &  
 rosaceo magno vsu fouet. purulentis auribus aut dolentibus pro remedio cum  
 oleo demittitur. Nigræ hederæ succus & corymbi eiusdē epoti corpus infirmant,  
 torpidosque reddunt sensus, mentem turbant largius sumpti. Acini quinque tri-  
 35 ti calfactique in punico cortice cum rosaceo, si ab aure contraria instillentur, den-  
 tium dolorem discutunt. capillum denigrant illiti corymbi. Folia in vino deco-  
 cta illinuntur omnium vlcera generi, etiam si cacoethe sint. vitia cutis in facie  
 & ambusta sanant, vti supradictū est, decocta. menses trahunt triti & subditi co-  
 rymbi. ijdem à purgationibus poti drachmæ pondere, fœminas steriles faciunt.  
 40 Pediculi foliorū madefacti melle vuluisque inditi, menstrua & partus expellunt.  
 instillatus succus graueolentiam narium, & putrilagines emendat & sanitati resti-  
 tuit. Lachryma hederæ psilothrū est. illitu pediculos necat. succus radicis in ace-  
 to potus contra phalanga prodest.

Ilex.

Cap. LXXXVIII.



Lex quæ Græcis prinos dicitur, arbor est roboris magnitudine & folio, verum minori aculeatōque, cortice etiam læuiori, materie spissa ac robusta, glandoso fructu, sed pusillo: radice multiplici in altum acta. Ilex perpetua coma frōdet, fructūque tardissime perficit, fructificat tamen post Vergiliarū occasum. Arcades anno perficere putant, simul enim antecedentem fructum nouus occupat, propterea à nonnullis in biferarū censu reponitur. Arbor Theophrasto magna profilit, si solum adipiscatur idoneum: folio roboris, verū minore, aculeato, cortice læuiore: radice multiplici, vt syluestri altissima, glāduloso fructu, sed glans ipsa pusilla est, veterē nouus præuenit, nam serò maturefcit: quam ob rem bifera à nonnullis existimatur. Fert & præter glandem granū quoddam puniceum. Sua hæc sunt. hyphear & viscum in ramis vt aliena sustinet, à septentrione viscum, à meridie hyphear. quapropter quaternos parit fructus, binos peculiare, binos alienos. Ilicis germinatio in vere prouenit. Folia lateribus sinuata confidunt, indecidua. Montibus lætatur, in planis nasci recusat. Medulla prædura & spissa, qua valuarum sumptuosarum cardines facere solent artifices, faciendisque architecti præcipiunt medulla, quam cor nonnulli vocitant. Honos ilici ad axes plaustrorum, & iuga lyrarū psalteriorūq;. Materies spissa & robusta, sed quæ frangatur & dissiliat spōte sua: ob id Pericles Bœotios dixit ilicibus similes, vt est apud Aristotelem, quoniam ipsi se intestinis discordijs conficerēt. Hæc & aquifoliam & aquifoliū vocari puto. Verū ilex est gemina vt Columelle placet, minor apibus quæsita, & prolixior, omnibus improbata mellificio. Omnes (inquit Plinius) roboris dotes ilex solo prouocat cocco. granū hoc, primo ceu spectes, frutices paruos aquifoliæ ilicis quisquiliū vocant, pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniæ donati. Sic ilicis duo genera apud nos inueniuntur, cocciferum in duplici discrimine minus, quod nunc Gallia vocat *scarlatum*, in Narbonensi prouincia frequēs, vbi rusticis *vermilionum* dicitur, frutice paruo, exilibus ramis, & aculeato folio: grano quo diuites lanæ pretioso illuminentur succo: aspectu coloris gratissimo, in rosis micāte, cui nec musteo nec senescēti vires anniculo succus ad pigmēta languidus, quadrimo euanidus. Colos Imperatorijs dicatus paludamētis, iam barbaro notior quàm latino aut græco nomine, quum Mauritanis granū *quermes* nominetur, inde *quermesinus*, nobis *cramesinus*, qui quisquilio rutilet colos, vocetur: sed *scarlati* nomen à latino immutatis literis videtur oriundum, de quo in coccinei grani mentione fuerit differendum. Alterius maius, perpetua fronde virens in iustam arborē profilit, cum sibi cōmodam nactum est humū, caudice læui, folio pungētis aculei per ambitū armato, bacca punicea. folia nō dimittit, sed glandem nullam fert. Hac pleræq; syluæ Galliarum scatent: sed in multis locis tam pumila arbor, tāmque crescendi pigra, vt ad frutices potius sit referenda. Vulgus gallicum *bous* aut *bousson* nominat, rusticis non ignotum, qui sæpe spinarum iniuriam experiuntur. Quod si non fuerit generis aquifoliæ ilicis, parum tamen aut nihil differre videtur. Subscribunt iudicio nostro permulti studio & doctrina insignes. Sed glandifera ilex Gallijs est rarior, quàm vt sæpe cōspiciatur. Sata tamen in hortis apud nos glande creuit, cingē-



te robusteam frondem spinarū vallo. Nec me clam est cratægum vel cratægo=  
na aquifoliū in Italia authore Plinio vocari. Non tamen simile veri fuerit esse ili=  
cem aquifoliam, cum à nullo folium ei reddatur aculeatū. Theophrasto neq; ar=  
bos est magna neque crassa, ligno robusto, versicolore, flauo, cortice læui, folijs  
5 mespili, hoc est promissis: verum longitudine ac latitudine maiori, nec ad hunc  
modum ferratis: fructu plurimū rotundo, qui maturescens siccatur nigrescítq;:  
gustu & succo mespili, feréq; vt verbis vtar Theophrasti, syluestris mespilus fue=  
rit. Satis de hoc in cratægonis mētionē disseruimus. Theodorus aquifoliū intel=  
10 lexit, quam Theophrastus agriam siue ariam appellat, sempiternæ frondis arbo=  
rem, inter robur & ilicem mediam. Sunt qui smilacem aquifoliam interpreten=  
tur haud ferendo errore. nam Arcades arborem faciūt ilici similem, folio tamen  
non aculeato, molli, profundo, materie soluta & in opere tenera. Phellodryn  
ijdem Arcades nuncupant arbore inter robur & ilicē mediæ naturæ, & aliud esse  
negant quàm ilicem foeminam: vt ilex vbi deficit, vtantur hac in carpentarijs  
15 præcipuè fabricis, quod & Lacedæmone faciunt & Elide. Dores agrestem eam  
appellant. Lignum intus quàm ilici candidius, sed fuluius quàm robori: materia  
quoque durior, sed quàm ilici solutior, in opere colore ligni decorticati. folium  
ambabus simile: sed iligno maius & querno minus. Speciosior medulla quàm ili=  
cis. Fructus minimis glandibus æqualis, acylon vocatur: quē admodū & iligneus,  
20 nam balanos siue glans robori propria tribuitur. Plinius cōtra quàm Theophra=  
stus phellodryn videtur eandem existimasse cum subere, qui scriptū sic reliquit,  
Sunt qui suber ilicem foeminam vocent, atque vbi non nascitur ilex, pro ea sube=  
re vtuntur in carpentarijs præcipuè fabricis, vt circa Elin & Lacedæmonē. quæ  
verbo tenus ad phellodryn Theophrastus retulit. Plinio hæc suber minima ar=  
25 bor, glans pessima, rara, cortex tantum in fructu, præcrassus, ac renascēs, atque  
etiam in denos pedes vndiq; explanatus. Vsus eius in anchoralibus, maximè na=  
uium, piscantiumq; tragulis, & cadorum obturamētis: præterea in hyberno fœ=  
minarum calceatu. quamobrem mulieres non infacetè Græci cortices arborum  
appellant. Nec in Italia tota nascitur, aut in Gallia omnino. Sic videtur Plinius  
30 suber à phellodry distinxisse. Sed phellon & phellodryn eādē fuisse arbore quæ  
à robore & subere tanq̄ vtroq; parente nomen traxisset: quasi dicas suberiquer=  
cum. Theophrasto suber arbor caudicosa, admodum procera, sine multis ramis:  
ligno robusto, cortice præcrasso & aspero in senectute, qui vt in picea rumpatur:  
sed grandioribus fragmentis, folio fraxini, longiore perpetuo, nec caduco. fru=  
35 ctu aquifoliæ glandoso. Corticē solent detrahēre, ne deterior fiat arbor, qui triē=  
nio post subnascitur. Familiaris erat arbor Theophrasti tēporibus, Pyrenicæ si=  
mulacra è subere dijs factitata: sed successit in eius locū palma. Suber in Gallijs  
cortice q̄ reliquo arboris habitu gnobilior, hanc *liegiū* à leuitate vt puto, q̄ extet  
aquis, nec obruatur, Franci hodie vocāt, hyberno crepidarum calceatu percele=  
40 brem, quo & sutores & veteramentarij soleas aduersum frigora muniunt. Non  
ignotus piscatoribus cortex, qui vericulatorum alis, ne sidant aut in profundum  
trahantur, appendere solent. Qui arborem per Hispanias viderunt, hac mihi fa=  
cie repræsentarunt, humilem, parūmq; ramigerā, folio ilicis aculeato, tristi glan=  
de, cortice præcrasso, & multis inanitatibus fistuloso, quem ad vsus detrahunt.  
45 Sed forsitan Pyrenicis insignior auctu, proceriorq; fauente cæli statu consurgit.

Ilici pares quercu redduntur vires. cortex radice detractus tantisper in aqua coctus dum eliquesces intabescat, capillos denigrat, cimolia creta ante repurgatos. trita folia tumores discutunt, & imbecillas parteis firmat. Suberis cortex tritus ex aqua caldapotus sanguinem ex vtralibet parte fluentē sistit. Eiusdem cinis ex vino calido sanguinem ex creantibus magnopere laudatur.

¶ *Iuglans nux.*

Cap. XC.

**I**uglans Græcis caryon basilicon, id est regia nux, interdū persica, euboicaq; Gallis *noierus* dicta, notior est q̄ vt repræsentari debeat, quum sit arbor prægrandis multis prælongisq; nixa radicibus, procero caudice, multis summatim ramis ingentibus brachiato, ad binū ternūve cubitorū cōplexus sæpius crassescente: cortice hiulco, & in rimas altas dehiscente: frondibus latis, oblongis, è iucundo grauiter subolentibus, patulāmq; iaculantibus vmbra & insalubrem, per autumnū deciduis, verni tēporis initio veluti quodam gestiēte foliorū conceptu: panicula prælonga, callo squamatim compactili protracta ordine nucis pineæ protuberat, dehiscitq; flauescens statim quā frondē facere cœpit, nutans caducāq; prolabitur. Tum super amenti huius pediculum flos erūpit, totidēmq; calliculacea tegumenta quot flores petiolo contrahuntur, singuliq; his singulæ includuntur nuces, duplici protectæ munimento, puluinato primū calyce, mox ligneo putamine, quot modis & fœtus in parente, hoc est vtriculo ventrēque. quæ causa eas fecit (vt est verisimilius) nuptijs religiosas, partu tot modis munito, quā quod cadendo tripudium sonitūve faciant elidendo virginum puellarum clamore. Nux itaque multis occultitur inuolucris, calloso primū herbaceoq; cortice, quām guliocam dicunt: hinc compactili carinarum loculo, mox tenui tunica, quæ nauci vt quidam volunt nominetur. Crispi intus nuclei quadripartito digerūtur, lignosa intercedente mēbrana. Differentia generum in putamine duro, fragilive & tenui ac crasso, loculoso & simplici. Solū hoc pomum natura cōpactili clausit operimento. Nanq; sunt bifidæ putaminum carinæ, nucleorūmq; illis quadripartita distinctio, lignea intercurfante membrana. Transtulere iuglandem reges è Perside, ob id regiæ nuces & persicæ nominātur. Caryon vero Græcis à capitis grauedine vocatā ambigit nemo, & arborū ipsarū foliorūmq; vires in cerebrū penetrant, hocq; in cibus earū nuclei minori momento faciunt. Aquas odere iuglandes, frigorisq; cupidæ. Montibus quoq; lætantur. germināt post afflatū Fauonij, nō cacuminibus vt maxima pars arborū, sed lateribus impulso priore pullulo, qua forma & caudices toti, & prægrādes rami crescūt: quorū germina in foliū vnum procūbunt, quòd desit initium vnde germen erūpat. Inferiore sui parte fertiliores sunt iuglandes. Serūtur nuces porrectæ commissuris iacētibus, à Calendis Martijs ad Idus easdem. Cariē vetustatēmq; nō sentit iuglans: quare materies eius ampla, nigricās, vndatimq; crispa. Mēsis & vtenlibus lautis dicatur, vsūsq; ad tectoriū opus. Sed frangi se sonitu prænūciat, ita vt præsentire homines possint: quod in Antādoro cōtigisse, omnesq; è balineis terrestros profugisse traditū est. Sed mirū est quod proditur, quercū & iuglandē tam pertinaci odio dissidere, vt iuxta nucē iuglandē depacta moriatur, quū mutari in quercū senio nōnulli tradant. Iuglandiū vmbra satis quibusq; nō nutrix sed noerca est, & quæcūq; attigerit, non dubiè venenū. Stillicidij quoq; ratione nocet,

quod frondis proiectu ita diffunditur, vt per ipsam non defluant imbres, sæuáq;  
 stilla est. Iuglans, vt Damogeron est auctor, nucibus suis eo more quo amygdala  
 feritur, & eisdem mēsis: item auulsione, & viuiradice. Amat loca sicca. Fri-  
 gidis potius quàm calidioribus gaudet. Sed nux quam positurus es, melior ado-  
 5 lescet, si pueri impubis vel nondum experti venerē vrina quinq; diebus macera-  
 ueris, quod & in amygdalis cōmendatur. Cinis iugiter vel caudici vel radicibus  
 offusus, & teneritudinem adfert, & fragiliorem nuclei carnē efficit. Lætior fiet, si  
 sæpius trāfferatur, aut si quis arbori cuprinum clauū, aut ligneum palum impri-  
 mat, qui ad medullam vsq; penetret. Siquis terebro per medullam arborē traij-  
 10 ciat, atq; foramini parem vlmeum adigat cuneum, nodosam duritiē nux exuet.  
 Ea fructum non amittet, si verbasci radicē, vel coccineum è sterquilinio pannū  
 amuleti vice suspendat. Posteritatis memoriæ mandarunt rei rusticæ periti, neq;  
 iuglandem, neq; resiniferas arbores, nullo insitionis inter se aut cum alijs pignore  
 iungi posse, ita vt iuglans alteram non admittat arborē, aut suum etiam surcu-  
 15 lum respuens, si pangatur, nullo fœderis nexu coalescit. Sed ij planè, vt Damo-  
 geronti placet, à veritate defecerunt, experiētiāque docuit iuglandis resinofæ  
 terebintho aut pistacio insitum comprehendisse, & in grandiorē sua sorte arbo-  
 rem euasisse. Terebinthus & iuglans surculum pistacij recipiunt, qui conceptus  
 persæpe conualuit: & licet forsitan nō facilè coeat, non ideò tamē id habendum  
 20 neglectui, si res non semper suum sortiatur effectū. Sunt qui hoc insitionis vtan-  
 tur genere. nucē obruunt, & vbi adoleuerit, bimam aut trimā radicitus eruunt,  
 radicēq; surculum iuxta carnē infigunt, & iterum terræ relegant. Alij ramulum  
 anniculum legunt & inuertunt, insitūmq; diligenter viminibus obligant. Nuces  
 nudas & sine putaminibus ædēt iuglādes, vt pollicetur Africanus, si fractis vtrin-  
 25 que carinis, integer nucleus illæsa prorsus carne, lana vel vitigineis folijs recentis  
 bus aut platani frondibus obuoluatur, quo minus à formicis enucleatus eroda-  
 tur fructus: dein terræ mandetur. Hoc idem Florentinus asserit. Si tarentinam  
 nucem, siue quod idem est, suis operimētis spoliatam facere volueris, solam nu-  
 cis carnem vellere propter formicas inuolutam, in seminario debes obruere.  
 30 quod in amygdalis quoque venturum promittit: sed cinis scrobibus asperga-  
 tur. Democritus scriptum reliquit, si quispiam ieiunus seorsum lētis grana man-  
 dat, atq; dum adhuc mansum in ore versat, quum flore pubet iuglans, ramum  
 demordeat, arbor persicca distabescet. Item si flagrans igni lentis granum radi-  
 cibus imprimatur, aut si in traiectam terebro arborē puerile lotium indatur, aut  
 35 si quis iuxta ablaqueatam radicē dictamnū, fabas, vel pannū menstruo sangui-  
 ne mulieris imbutū deponat, arborē ariditate tabida conficiet. Omnis autē nux  
 primū vnā radicē mittit, & simplici stylo prorepit: cum ad scrobis solum ra-  
 dix peruenit, duritia humi coercita recuruatur, & ex summo duorū ramorū am-  
 bas radices emittit. Tarentinam nucem facere hoc etiam modo poteris. In quo  
 40 scrobe destinaueris nucē ferere, in eo terram minutam pro modo semipedis po-  
 nito, ibiq; semen ferulæ repangito: cū ferula fuerit enata, eam findito, & in me-  
 dulla eius sine putamine nucē abscondito, & ita obruito. In frigidis locis bima,  
 in calidis trima transferri debet. Sunt qui pridie quàm sint posituri iuglandē aqua  
 simplici macerēt. Pangunt autē transfersam, vt in latus, id est carinam ipsam fi-  
 45 gatur in terra. Cacumē ipsum cum ponitur nux, in Aquilonis partem dirigitur.

Lapis subter aut testa deponitur, ne radicem simplicem mittat, sed repercussa respersa. Radices plantarum in eo genere sectionem horrent, fimo bubulo implan-  
 ta tingi, sed magis cinere respersi gaudet, ne stercoreis aduratur calore. Cin-  
 neris conspersus creditur teneritudinem & fructus densitatem adferre. Altis delecta-  
 tur scrobibus, & interualla desiderat maiora, quoniam stillicidijs foliorum suorum  
 proximis, vel sui generis officit arboribus. Si senectatis vitio cauetur, longus ca-  
 nalis a summo trunco ad imum debet excudi: sic beneficio solis & venti difflan-  
 tur & durefcunt, quae in marcorum transibant. Arcebitur hiantis cauernae vitium,  
 si frequenter ablaqueetur. Si nodosa vel praedura nux gignatur, cortex in orbem  
 vulnerandus, ut noxium exigat humorem. Tradunt, si ferentem iam arborem in  
 tarentinam velis mutare, lixiuio per annum continentem ter mense rigandam.  
 Cortex exutus in nuce maturitatis argumentum est, quo spoliata iam tempesti-  
 uitate fatetur. Seruantur iuglandes vel paleis obrutae, vel arena, vel folijs suis a-  
 ridis, vel arca ligno suo facta conclusae, vel immistae cepis, quibus hanc vicissitudi-  
 nem reddunt, ut acridinem tollant. Expertum produnt, si virides nuces tantum  
 putaminibus suis liberae demergantur melle, post annum virides inueniri, ipsum-  
 que mel ita medicabile fieri, ut ex eo facta potio faucibus & arterijs medeatur.  
 Diphilus Siphnius ita de ijs proditum reliquit, Iuglandes nuces capitis dolores  
 cient, & reliquis cibis emergentes innatant. Recetes sic suis membranis castratae,  
 ut omnino candicent, meliorem succum creant, furno torrefactae paucam suppe-  
 ditant alimoniam. Atheniensis Mnesitheus euboicas nuces coctu difficiles esse tra-  
 dit, & flatu parere, si tamen a stomacho victae coquantur. Vescetes exhilarat sa-  
 gina, strigososque ad crassitiem reducit. Persicae nuces, ut Diocles est author, non  
 minus castaneis dolores capitis mouent, sed plus alimonij sumministrant. Tor-  
 refactae minus corpori negotium facessunt: ex melle aluum trahunt: latae in eo  
 genere spiritus plures excitant. Innocetiores tam tostae quam coctae crudis. Mnesi-  
 theus Atheniensis praecipit nuces omnes tam persicas seu regias, quam auellanas,  
 non nisi feruorem ignis expertas aedi, praeter amygdalas virides, siquidem oleoso  
 constant humore, qui ignis beneficio discutitur. Nam vel pingues & oleagineae  
 sentiuntur, vel acerbae & durae: ijs ignis oleacitatem depascit, illis acriditatem, duri-  
 tiam mediocri mollit. Heraclides Tarentinus petere solebat, si nuces prima me-  
 sa vel summo cibo iam ferè cenatis obijci ut bellaria debeant, quae in pleraque  
 Asia Graeciaeque praeponuntur. Si postremo cibo uti mos est, offerantur, huius gra-  
 tia, ut bibendi desiderium inuitent, & potus auiditatem moliantur, distento iam ci-  
 bis ventre, interaneisque refertis, insinuatae deturbantis potus impetu nuces, infla-  
 tiones ciēt, & spiritus excitant, cibosque corruptionis labe vitiant, quod insita sit  
 quaedam enatandi facultas, quae coctioni parum cedat, unde cruditates oriatur, &  
 alui moueantur deiectiones. Tinguntur cortice iuglandium lanæ, & capillus rufa-  
 tur. primum prodeuntibus id compertum, infectis tractatu manibus. An fuerit in  
 Italia Catonis aeuo, non constat, quoniam graecas nominat, quas quidam in iu-  
 glandium genere seruant. Adijciunt praeterea auellanas, & galbas, praenestinas,  
 quas maxime probat, & conditas ollis in terra virides seruari iubet. Postea tha-  
 siae & albenfes celebrari coepere. Sed Tarentinarum duo genera, fragili putamine  
 ac duro, quae sunt amplissime & minime rotundae, quas a frangendi mora, mora-  
 cias & moracillas sunt qui vocent: praeterea molliscae putamen rumpentes. Sunt

qui honori nomē interpretētur, & Iouis glandē esse dicunt. Sunt qui à iuuando  
 & glande dictam existimēt. Iuglans, vt Caius libro de verborum significatione  
 refert, arbor dicta perinde ac Iouis glans. nam id arboris genus nuces habet, quæ  
 sunt suauiore sapore quàm glans. hunc fructum antiqui illi, qui egregium glans  
 5 diq; similē, ipsamq; arborē deo dignam existimabant, Iouis glandem appellaue-  
 runt, quæ nunc literis interlisis iuglans nominatur: siue quasi diu glans, vt Cloa-  
 tius est author. Veruntamē dios balanos castaneam Theophrasto Dioscoridīq;  
 significat. Porrò eandē esse nucē persicam, regiam, iuglandem fatebitur, qui bo-  
 nos authores euoluerit. Persicam, quòd è Perside primùm ad nos sit conuecta:  
 10 regiam, quòd à regibus translata sit. Sed indicio sunt græca vocabula. Optimū  
 quippe earum genus persicum atq; basilicon: hæc fuere prima nomina. Cæterū  
 in eo genere quæ mollior sit, & putamē frangat, molusca dicitur: vt tarentina,  
 quæ nuda cortice vel molli, ac fragili putamine prodeat. Cuius faciundæ rationē  
 Columella docuit. à tarento, quod Sabinorum lingua molle designat, vnde ta-  
 15 rétinus dictos putat Varro, quod Horatius confirmat molle tarétum appellans.  
 Sic nux tarétina dicitur quæ ita mollis est, vt attrectata statim frangatur. Qua-  
 propter apertè Macrobius hallucinatur, qui persicum vulgo dictum, moluscam  
 nucem esse putat, Sueuij hominis doctissimi testimonio fretus, in idyllio quod in-  
 scribitur moretum, qui vt inquit (de hortulano loquitur moretū faciēte) inter  
 20 ea quæ eò mittit, hoc pomum tradit mittendum ijs verbis,  
 Admisce tu Acca basilicis hæc nunc,  
 Partim persica: quod nomen sic deniq; fertur,  
 Propterea quòd qui quondam cum rege potenti  
 Nomine Alexandro Magno fera prælia bello  
 25 In Persas retulere suo. Post inde reuentum,  
 Hoc genus arboris in prælatis finibus graijs  
 Disseuere, nouos fructus mortalibus dantes.  
 Molusca hæc nux est, nequis fortè inscius erret.  
 Sed ij numeri nihil aliud volunt, quàm persicas nuces basilicis, hoc est regijs vt  
 30 cōgeneres non alienas esse miscēdas, q̄ earum in moreto consortia nō respuant,  
 nomēq; persicis inditum refert, quòd cum eo bello quod aduersus Persas à re-  
 gibus gestum est, eæ ad amplos Græcorū fines delatæ, satu nouos & inuisos an-  
 tea fructus hominibus hinc redeuntibus dedere: inde basilicæ siue regiæ & persi-  
 cæ nuces, quòd à regibus à Perside post finitū bellum fuerint primùm deuectæ.  
 35 Moluscam eandem dici nucē asserit idem Sueuius, nisi quis veritatis surdus ve-  
 lit aberrare. Quapropter hæc verba in Macrobiū facile possunt retorqueri. Sed  
 erroris causa fuit, quòd ipse putauerit idem esse malum persicum, & nucē persi-  
 cam, quod tantum abesse à vero constat, vt nihil plus veritati reclamare videa-  
 tur, quanquam vtrunq; nationis suæ referat cognomē. Acca nucem moluscam  
 40 hyemis tempus ait inuidere, quod de malo persico non potest audiri, quando plu-  
 rima vis eius exitu autumnī & ineunte hyeme reperitur: quare persica nux quæ  
 & molusca dicitur, iuglandium esse generis euidentius, quàm latius probari de-  
 sideret. Sed nux græca hæc intelligi debet, quæ & amygdala dicitur, quod Cloa-  
 tius testatur inquit, Nux græca amygdala est. Sed de hac re latius in eius mētio-  
 45 ne disseruimus. Plinius consularē virū audiuit biferas iuglandes nuces se habere

profitentem. Non sunt silentio prætereunda, quæ faciem parentis, succumque adoptionis exhibent, appellata ab utroque nuciperfica: quæ & Martialis hoc disticho commendauit,

„ Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,

„ Nunc in adoptiuis persica sola sumus.

Namq; nuciperfica arbor est humilis, præcocis persici proceritate, folio amygdalæ, sed maiori: flore puniceo. Pomum emicat viride, carnosum, succulentum, nulla exterius lanugine pubescens, medio inter iuglandem & persicum malum sapore: dura intus & scabra nuce, in qua nucleus qualis amygdalis aut persicis pomis. Maturefcit autumni exitu, diutiùsq; persicis ætatē prorogat, non tam celeriter marcescens, sed multo nuce fugacius est. Iucundo placet sapore, leuiter subamaro atq; innocenti gustu. Scatent hac arbore Galliarum pleriq; tractus, rura nostra *persiconucem*, aut potius curtato nomine, *pesconucem* vocant. Ea soboles mediā inter utrunq; progenitorē naturam vt spero, cōtraxit, attulitq; infitionis vt arbitror, diligentia, aut satorū mistio nouum adulterij genus, ita vt ex amygdalo seu nuce græca & persico progenies inuisa prioribus seculis exoriretur, vtriusq; parentis ingenium referens, & effigiē simul adoptans, hoc est malum quod foris æmula facie persicum pomum mētitur, intus dulcē amygdalam & facie & gustu repræsentet, ipsum recte vterq; parens amygdalopersicum nominabit. Nuces iuglandes quas alijs regias, alijs persicas nuncupari diximus, recetes iucundiores sunt. Siccæ noxiores, stomacho inutiles, biliolæ, difficiles concoctu, dolorē capitis inferentes. Tussientibus inimicæ: sed vomituris ieiunis aptæ. Præsumptæ cum ruta & ficis venena hebetant. Item aduersantur cepis, leniuntq; earum saporem: & quo quis plures ederit, eò facilius latas ventris tineas pellit. Mammarū inflammationi, abscessibus, luxatisq; imponuntur cum exiguo melle & ruta: cum cepa autē & sale, & melle canis hominisq; morsui. Cum cortice suo crematæ & vmbilico admotę discutiunt tormina. Putamen combustū tritumq; in oleo & vino, infantium, capite peruncto, nutrit capillum, & ad alopecias eo sic vtuntur. Nuculeorum crematorum cinis ex vino subter inditus, fœminarū purgationes cohibet. & quæ perueteres sunt nuces, gangrænis & carbunculis medetur: item ægri lopijs & fugillatis. Areas capitis breui momento replent pilo, commanducati, & protinus ex ore impositi nuclei. Cortex iuglandium lichenum vitio & dysentericis prodest. Recetes stomacho minus insensæ, gratiorésq;: ideò alliatis induntur ad domandam acrimoniam. Liuores illitu rapiunt. Nucleus estur in tenesmo ad extrahendam pituitam. Fertur qui ieiunus sumpserit duas nuces siccas, & totidem ficos cum rutæ folijs viginti simul tritis, addito salis grano, nullum venenū illo die nociturū. Cōtra rabiosi quoq; canis morsus nuclei à ieiuno homine commanducati, illitq;, præsentis remedio esse dicuntur. Nucibus tufis oleū exprimitur.

**C**laniperus.

Cap. XC.

**V**niperum Græci arceuthon, Galli *geneurum* nominant. Arbor est duorum generum, nempe maior & minor, cortice membraneo, & qui sponte rumpatur: materie fulua, odorata, ex qua manat liquor thuris odorem atq; colorem æmulans. Coma virēt perpetua, spināq; potius quàm folio, sed herbacea vestitur: sine flore, cæruleis baccis: in summa, cedro penè similis tum

effigie, tum natura. Montes amat, in planisq; nasci recusat. Pleriq; colles in Gal-  
 lia, montiumq; iugâ iunipero pubescunt. Germinat vere, quanquâ serius fructifi-  
 cet. Auctu facillima, sed admodum ferotina, cum fructum tardissimè omnium  
 reddat. Cæterû annua habetur, nouusq; fructus in ea cum autumno pendet, re-  
 censq; veterè occupet, sic baccis subnascētibus, quæ biennio hæreant. Quare so-  
 lam arborum fructus suos ad bimatum prorogare volunt, qui ne maturescant  
 quidè, sed decerpantur & aliquandiu conditi seruētur: & si in arbore relinquan-  
 tur, marcescant. Iuniperi duo genera quidâ constituunt, vnum q; florè ædat, nec  
 fructificet: alterum quòd protinus fructū, vt præcidua poma fici, præmonstret,  
 nec tamè floreat. Macedones ne vllum quidè promere florè arbitrantur. Vtrūq;  
 montium cacuminibus & algentibus locis prouenit, verum non in excelsum e-  
 micat. Cedro non absimilis traditur, folio tantū creduntur distare. Iunipero sim-  
 plicius ac mollius assignatur: cedro acutum, spinosum, durū, excelsiorq; quàm  
 cedrus nasci, ac procerius adollescere conspicitur. Alij nominum ambage post-  
 habita, vtranq; cedrum (inquit Theophrastus) appellant. Quæ tamè propriè sit  
 cedrus, ex additione oxycedrum, id est acutam cedrum malunt vocare. noda-  
 sæ ambæ, frequētibus alis cauæ, materie tortuosa: sed in iunipero spissiore, par-  
 ua cum cæsa fuerit, celeriter putrescēte: cedro æterna corde referta, nullamque  
 sentiēs cariem. Iuniperi baccæ nigræ, gustu astringētes, acerbæ, ingustabiles, du-  
 rates in annum, nec prius deciduæ quàm subnascantur aliæ. Arcades baccas in  
 ea ternas eodem haberi tēpore confirmant, anni proximè exacti nondum matu-  
 ras, & tertij ante præsentē iam maturas atq; gustabiles, tertias nouas & recentes  
 demonstrant. Cedro odoratior bacca, flaua, hilaris perpulchrâq; baccarum myr-  
 timagnitudine, gustu suavis & esculēta, cætera ambę persimiles. Satyrus vtranq;  
 sibi à rusticis allatam refert cupresso proximas, scabriore tantum cortice. Radi-  
 ces raræ ac solutæ ambabus, summa telluris cute dispersæ hæret: saxosa sequun-  
 tur, & lapidosam humū quærunt: frigidis & algētibus gaudent. Materia iuniperi  
 fabricis conueniēs tam futuris sub dio, quàm terra obruendis. Duo apud nos ge-  
 nera inueniuntur montibus vernacula. Vnum pumilum, humile, sessilibus in ter-  
 ra ramulis, alijs parum se ab humo attollētibus, quibus spina pro folio est, radi-  
 cibus summo cespite fuis, baccis primum virētibus, deinde per maturitatē ni-  
 gris: caducas noua semper occupat. Alterum altius adolescit, caudice procero,  
 cortice fragili, nec difficulter fatiscēte, ligno fuluo, odorato, ramis latioribus a-  
 culeorum aceruo stipatis, baccis alteri consimilibus. Vtriusque facies horrida &  
 spinis pungētibus minax, cum virens præsertim ignibus dicatur, crepitat & non  
 iniucundum fumū expuit, qui odoris suauitate grassantia pestilētix contagia de-  
 pellat, & sæuientē eluat perniciē. Rami & caudices non illepidè topiarias horto-  
 rum vites, & celebres attegias fulciūt. Humor in iunipero ad lachrymæ modum  
 concrefcit, qui crematus nidorē odore thuri non cedentē expirat. Sunt è recen-  
 tioribus Græcis, qui tradant æstiuis tēporibus arborē quam iuniperum appellēt,  
 lachrymā sudare, quæ caloris officio durata coeat in gummi. Hoc peculiari re-  
 gionis vocabulo *vernix* dicitur. primum cum metitur candido splēdescat colo-  
 re, senescēs luteum contrahit, nimia senectâ in rufum degenerat colorē. in quo  
 genere probatur, quicquid claro nitore reluceat. Habetur & factitiū quoddam,  
 quod hoc sincero & oleo, quod pressum lini semen remisit, conflatur. Eo infe-

ctiui colores aliquantum imbuti sic tinguntur, vt pertinacius hæreant, q̄ deleri  
 facile possint: eisdem superiecta eius farina nitoré conciliat. Mauritanæ factionis  
 authores arboré quandam terris quas incolunt Christiani familiarem scribunt,  
 quæ liquorem fundat, durescenté in gummi, sed succino minus durum concre-  
 scenté. Cæterum arboris quæ hac manet lachryma, facies non exprimitur, ver-  
 nicis nomine tantum nobilis. Calfacit, exiccat secundo recessu, non nihil amaritu-  
 dinis pauca resipit. Ruenté naribus sanguiné sistit, si ex candido oui liquore tri-  
 ta temporibus & fronti perlinatur. Eadem vomitioné ex polline thuris & oui al-  
 bo excepta supprimit. Item profluenté firmat aluum cum eisdem illita. Stoma-  
 chum in biliosos vomitus effusum, deuorata in ouo sorbili poléta eius, cohibet,  
 cruentámq; alui proluuiem retinet. Destillationes suspédit suffitæ nidor, arcetq;  
 ne præcipites ad ima decumbant. Pituitam, quæ in stomacho aut intestinis coijt,  
 digerit. Humoré etiam coercet, qui pernix à cerebro deuoluitur. Tineas, & cæ-  
 tera ventris animalia necat. Vliginosos fistularû sinus indita resiccat. Menstruos  
 continet cursus. grauedini suffitus eius auxiliatur. Hiantibus manuû & pedum  
 rimis illitu succurrit. & in summa, succini pollet viribus, sed paulo efficacioribus,  
 quæ si desit, duplo pondere in vicé substituitur. Porrò non est ignorandum (ne-  
 scioli qui facile nomenclationum aucupio quo potiri nequeunt capti, pro re sa-  
 lutari venenû præbeant) authores Arabis familiæ pro vernice re salubri sanda-  
 racham v surpassasse, quæ Græcis exitiale sit medicamentum. Vide, in quantis vita  
 periculis hoc nominû dissidio versetur, præclaréq; cum humano genere actum  
 esset, si seplasiarij institores sua lingua contéti, non defecissent ad Mauritanam  
 factioné, cum longè priores sint Græci, à quorum fontibus hausisse quicquid ha-  
 bet, euidétius est, quàm vt dici mereatur. Si vernicis vocabulo medicinæ studiosi  
 in re tam ancipiti vterétur, res omni periclitationis suspicione vacaret. hæc de-  
 functoriè & obiter monuimus. Nanq; vernicis nomenclatio nulli non hodie na-  
 tioni cognita est, seculo tamé Dioscoridis & Galeni nõ venerat vernix in vsum,  
 nisi succini nomine, cui & dotibus naturæ & viribus vicina est. Sed quòd vernix  
 concreta sit iuniperi lachryma, indicio est odor in attritu & suffitu iuniperû re-  
 dolens, accensáq; statim deflagrat, & si naturam eius admoto igni tétare libeat,  
 succéditur, alítq; flammam, iuniperum odore repræsentátem, quæ postmodum  
 in gummi rursus lentescat. Iuniperus excalfacit, extenuat, cedro assimilis. Et  
 duo genera, altera maior, altera minor. Vtraque accensa serpentes fugat. Semé  
 stomachi, pectoris, lateris doloribus vtile: inflationes, tormina, languorésq; dis-  
 cutit. Tusses concoquit & duritias. Bibitur contra serpentes. Vrinæ cit. Aluum  
 & ventris tumores sistit baccis ex nigro vino potis. Datur conuulsis, ruptis, &  
 strangulatibus vuluæ. Ischiadicis pilulis quaternis in vino albo bibitur. Illinitur  
 & oculis in epiphoris. Sunt, qui perungant corpus semine in serpentium metu.  
 Folia acri pollent ingenio: proinde tam ipsa, quàm ipsorum succus illinitur, bi-  
 bitúrque contra viperæ morsus. Ramenta ligni pota necant. Corticis cinere le-  
 pras exterunt. Excalfacit & siccat ordine tertio iuniperus.



¶ *Laburnum. Iouis barba, arbor. Larix.*

Cap. XCI.



Aburnum arbor Alpina, nec ut inquit Plinius, vulgo nota, dura & candida materie, cuius florē cubitalem longitudine apes non attingunt. odit aquas, nec nisi in siccis provenit. Horret & aquas, quæ appellatur Iouis barba, arbor opere topiario tonsilis, & in rotunditatē spissa, folio argēteo. Nascitur in siccis, humida omnino fugiens. Hanc nonnulli esse contendunt, quam Theophrastus diosporon, id est sementē Iouis, sic enim apud Athenæum citantem in Dipnosophistis eundem authorē legimus. Alij diospyron, id est (ut nonnulli vertunt) Iouis flammam: alij Iouis triticum malunt interpretari. Quod si ita est, fructum profecto habet ceraso similem, duro intus nucleo. nec plura de diosporo apud Theophrastum, & sectatorē eius Athenæum inuenimus. Arbor extat Parisijs in peristylio sacrarum ædium diuæ Genouefæ, in orbē tonsili venustate comās, ramis in rotunditatē expatiantibus: pomo cerasi rubro, osse intus præduro. an tamen diosporos fuerit, asserere non ausim, cum pauca admodum de ea sint prodita, quibus facilè colligi possit diosporon esse. Iam de larice differendū nobis est. Larix, siue ut alij, larex, arbor est magna, piceæ similis, crassior, læuiorq; cortice, folio villosa, pingui & denso, molliq; flexu, materie præstanti, rubente, odore acri. Hinc erumpit nonnihil liquoris melleo colore atq; lento, viscosi & nunquam durescentis. Lignum eius ferè ignibus inuictum, neq; flagrat, neque in carbonem recidit. Vitruuio arbor est, folijs similibus pini, cuius materies proluxa, tractabilis ad intestinū opus, non minus quàm sapinea. Habet resinam liquidam, mellis Attici colore, quare etiam medetur phthificis. Larix, ut idē inquit, non est notus, nisi municipibus, qui sunt circa ripam fluminis Padi, & litora maris Adriatici, non solum ab succi amaritate à carie aut tinea nō nocetur: sed & flammam ex igni non recipit, nec ipse per se potest ardere, nisi uti saxum in fornace ad calcem coquendam alijs lignis vratur: nec tamen tunc flammam recipit, nec carbonem remittit, sed longo spatio tardè comburitur, quòd est minima ignis & aëris è principijs temperatura. Humore autem & terreno, materia spisse solidata, non habens spatia foraminum quā possit ignis penetrare, reijcitq; eius vim, nec patitur ab eo cito lædi, proptérq; pondus ab aqua non sustinetur, sed cum portatur, aut in nauibus aut supra abiernas rates collocatur. Ea autem materies, quemadmodum sit inuēta, sic licet cognoscere. Diuus Cæsar cum exercitum habuisset circa Alpes, imperauissetq; municipijs præstare commeatus, ibiq; castellum esset munitum, quod vocaretur Larignum, tunc qui in eo fuerunt naturali munitione confisi, noluerunt imperio parere. Itaq; iussit Imperator, copias admoueri, erat autē ante castelli portam ex hac materia alternis trabibus transversis (uti pyra) inter se cōposita altè, ut posset de summo sudibus & lapidibus accedentes repellere. Tunc verò, cum animaduersum est alia eos tela præter sudes non habere, neq; posse longius à muro propter pondus iaculari, imperatum est fasciculos ex virgis alligatos & faces ardentes ad eam munitionem accedentes mittere, itaq; celeriter milites congesserunt. Postquam flamma circa illam materiam virgas comprehendisset ad cælum sublata, fecit opinionē ut videretur iam tota moles cōcidisse. Cum autē per se extincta esset & requieta,

turrisq; intacta apparuisset, admiratus Cæsar iussit extra telorum missionē eos circumuallari. Itaq; timore coacti oppidani, cum se dedidissent, quæsitum vnde essent ea ligna, quæ ab igni non læderentur. tum demonstraerunt eas arbores quarum in his locis maximæ sunt copiæ. Et hæc verò larigna materies per Padū solet deportari ad municipia quæ sunt in ea regione, maximáq; habetur vtilitas, vt tabulæ in subgrundijs circum insulas collocatæ, ab incendiorū periculo ædificia liberent: q̄ eæ nec flammam nec carbonē possint recipere, vel facere. Hæc verbosius quàm par esset forsitan sum profecutus, sed non parum ad laricis cognitionem facere mihi videntur. Credunt nonnulli Theophrastum pityos nomine laricem comprehendisse, nec à picea quouis modo disiunxisse, cui tam germana foret, vt etiam à peritis vix discerni possit. nam situs idē qui piceæ in montibus, eadem facies, materia præstantior longè, incorrupta vis, emori cõtumax, rubens præterea & odore acrior: nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi consumitur quàm lapides, cum cætera quæ picem & resinam fundunt, accensa fuligine immodica carbonē repente expuunt, cum eruptionis crepitu, eiaculantúrq; longè. Plusculum hinc erumpit liquoris melleo colore atq; lentore nunquam durescentis. E' ramis eius panicularum modo nucamenta non dependent, veluti piceæ. Vtraq; perpetuò viret, nec facillè discernuntur in fronde, etiam à peritis: tanta est natalium mistura. Cæterum altior est larix, crassior, ac læuior cortice, folio villosior, pinguior & densior, molliórq; flexu. Piceæ rariora sicciórq; folia & tenuiora ac magis algentia, totaq; horridior est & perfusa resina. Larix vstis radicibus non repullulat, sic istæ Romano discernuntur iudicio. Theophrasto larex cum tantum dictū est vernacula municipibus riparum Padi, vel forsitan incognita, vel pinus ambage comprehensa creditur. quapropter anceps Theodorus pityn nunc laricem, nunc piceam vertit. Larix montes amat, nec ei decidunt folia, mucrone pungentia nullo exhilaratur flore, nec natalisve pomorum recursus annuos versicolori nuncio promittit. Intermittit tripartitò, ac terna germina ædit, ideò inter squamas corticem spargit. Succisæ larici diu defluit humor, omnium arborum altissimæ ac rectissimæ. tardissimè carie & vetustatem sentit, eam tamē in marinis nauibus obnoxiam teredini tradunt, pondúsq; validissimè etiam transfuersum positam sustinere. Mirum quod Plinius de ostentosa laricis magnitudine prodit. Quippe sibi visam huius arboris trabem pedes cētum viginti longitudinis, crassam æqualiter duos, quo intelligebatur, vt inquit, vix credibilis reliqua altitudo, fastigium ad cacumen æstimantibus. Hanc arborum amplissimam ad hoc æui propter miraculum Tiberius Cæsar in ponte Naumachiario exposuerat, durauitq; ad Neronis principis amphitheatrū. Nascitur in larice fœmina, quam Græci vocant ægida, mellei coloris: densum hoc lignum est, medullæ proximum, in veteribus arboribus proueniens. Sunt ex eo pictoriæ tabellæ atq; codicilli immortalis penè materie, nullisq; fissili rimis. Laricis morbus est vt teda fiat. Larigna resina tussi efficax habetur. pollet contra viscerum vlcera. Folia cum piceæ fronde trita ex acetóque cocta dentium dolori profunt. cinis corticum intertrigini & ambustis medetur. dein epotus aluum sistit, vrinam ciet, vulvas suffitu corrigit.

Laurus.

Cap. XCII.



Aurus etiam hoc nomine plebi nobilis, Græcia daphnen appellat. Daphnen hæc comitatur historia à graijs rei rusticæ authoribus tradita, quæ fabuloso verborum inuolucro nonnihil etiã veri prætendit. Formosissimam Ladonis fluuij filiam Apollo deperibat, dat operam vt ea tanquam amasia potiretur. ab eo tandem capta, matrem precatur Tellurem, vt se in suum reciperet gremium. Subscribens votis Tellus, confestim arborem ædidit. Re conspecta deterritus Apollo, arborem gentili virginis nomine donauit, & vulso ramo sese coronauit, fuitque diuinationis signum arbor, idque non incongruum. Quippe puellam sapientiam appellant, facultas oraculi dandi ab sapientia proficiscitur: quòd plena sit ignis arbor, Apollo ignis ipse vtpote sol, vnde lemures & laruas odit, & si qua laurus astiterit, eminus abiguntur in fugam fusi. Porro qui eam in vaticinijs cremant, prædictionis rationem creduntur iniuisse. Laurum tradunt secundam valetudinem adferre. proinde folia principibus à populo & carice prima die Ianuarij mensis donabantur. Quippe cum nec sacer morbus, nec malus genius negotium exhiberet, vbi laurus adfuisset. Quemadmodum nemo icitur fulmine, vbi & ficus & laurus assideant. Quoniam &, vt aiunt, Romæ palatium Daphnæ, à lauri cognomento fuit appellitatum. Præterea Latinum commemorant Circæ filium & socerum Aeneæ, antequam illuc Aeneas aduentasset, arcem condidisse, inibi que laurum inuenisse: acropolim, id est arcem nominant veteres regum, tabernaculum quod munitionis securitatísque gratia summis vrbium cacuminibus sit extractum. sed ad rem redeamus. Laurus læui cortice ac tenui vestitur: spargit radices obliquas, inæquales, quæ sua parte natura non recto tramite progrediantur. perpetua frondet coma, caudice procero, pingui succo scatente, nodis perquam paucis. Fert vnam tam fœcunda quàm sterilis, sed copiosius sterilis, quam marem aliqui vocant. Fœcunda baccifera, carne in nucleo concepta. Germinat post Fauonium, sed latere germen citat. quapropter celeriter & senescit & cariem experitur. Argentes frigidusque tractus, vt quæ calida sit, aspernatur: nasci tam semine quàm auulsione contendunt, si quis sublatis surculis ferat. Crebras deponere lauros non plus nouenis pedibus distantes præcipiunt, sed facillè degenerant, nec suum seruant colorem, adeò vt fructus è rubro niger eueniat, sicut in Antandro notatum est. Vsus ad baculos & scipiones, quibus & perpulchris & leuibus nutans caudaque senectus innitatur. Quintilius inferi posse tradit lauros mutuo, item sorbo & fraxino. Diophanes baccas suadet legi circa Decembres Calendas, feri vero post Martias Idus, viuiradices transferri mense Octobri. Addit eugeniam, id est illustrem Romanis dici, viuis sepibus quæ vitarium ambient, idoneam. Laurus pluribus feritur modis. Baccæ mense Ianuario Aquilonis afflatu siccante leguntur, expandunturque raræ, ne calefiant aceruo. Postea quidam fimo ad ferendum paratas vrina madefaciunt. alij in qualo pedibus in profluente deculcant, donec auferatur cutis, alioquin vligo infestat nec patitur nasci. In sulco repastinato palmi altitudine vicenæ ferè aceruatim ponuntur mense Martio: eadem & propagine feruntur. Triumphalis talea tantum, augusta &

baccalis pluribus modis: ab occasu Aquilæ ad occasum Sagittæ feri iubent. Laurus triumphis propriè dicatur, ianitrix Cæsarum Pontificumque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat. Multa lauri genera traduntur. Delphica æquali colore, viridior, maximis baccis atque è viridi rubentibus, dicta quòd ea victores Delphis coronari solebant, vt triumphantes Romæ, quo & triumphalem vocabant ad Cæsarum Augusti tempora, vt mox dicetur. Cypria folio breui, nigro, per margines imbricato crispatur. Postea accessere genera, tinnus, quam laurum syluestrem aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem. differt colore, quòd bacca ei cærulea sit. Accessit & regia, quæ cœpit augusta appellari, amplissima & arbore & folio, baccis, gustatu non aspero. Aliqui negant eandem esse, & suum genus regię faciunt, quæ longioribus latioribusque folijs conspicitur. Idem baccaliam alteri assignant generi, eamque dicunt, quæ vulgatissima est, baccarumque fertilissima. Sterilem vero earum triumphalem, quòd ea putent triumphantes vsos, à Cæsare Augusto reiecta delphica. Sterilem & laurum esse perhibent, quæ missa sit è cælo eidem Cæsari, altitudine minima, folio crispo, ac breui, rara inuentu. Accedit in topiario opere quæ taxa dicitur, iucundissima, excrecente in medio folio paruula, veluti lacinia folij. Habetur & spadonia mira opacitatis patientia. nanque quantalibet sub umbra solum implet. Mustax folio maximo flaccidoque; albicat, appellata quòd mustaceis subijceretur. Delphicam Helianus è Thessalia Delphos translata, ab ipsis Tempe scribit, tum cum Apollo draconem sagittis confodit. Eandem Lactantius grammaticus tripodem quoque vocari dicit, quoniam vt ait, radices ternas habeat. Apollini dicata, propter triplicem vim diuinationis, præteritorum, præsentium, futurorum. Extra columnas Herculis in mari nascitur frutex, folio laureo, qui erectus in pumicem transfiguratur. In Heroo sinu parate aquis extante, lapidea est, similis tamen virenti, magnitudo frutici bipedalis. in mari quoque rubro viuere eam adfirmant. Notatum est in antiquis, nullum genus lauri in Corsica fuisse, quod nunc satum ibi prouenit. Laurum ramo feri posse constat, etsi veteribus dubitatum sit. Manu satarum receptarumque in domos arborum, fulmine sola non icitur. ignes abdicat salis modo crepitu. Pacifera victoriarum semper index, lætitiæ semper nuncia, ideò militum arma, Pontificum domos, fasces Imperatorum decorat. quod Ouidius non tacuit cum cecinit,

- „ Arbor eris certè dixit mea: semper habebunt
- „ Te coma, te citharæ, te nostræ laure pharetræ.
- „ Tu ducibus lætis aderis, cum læta triumphum
- „ Vox canet, & longas visent capitolia pompas.
- „ Postibus augustis eadem fidiissima custos
- „ Ante fores stabis, mediàmque; tuebere quercum.
- „ Vtque meum intonsis caput est iuuenile capillis,
- „ Tu quoque; perpetuos semper gere frondis honores.

Tiberium principem tonante cælo coronari ea solitum ferunt, contra fulminum metus. In profanis vsibus pollui laurum fas non erat, vt ne propitiandis quidem numinibus accendi ex ijs altaria aræ ve debebant. Apollini dicata laurus, vt olea Mineruæ. In Iouis tamen gremio deponabatur, quoties lætitiã victoria noua at-

tulerat, id non quia perpetuò viret, nec quia pacifera est, præferenda utiq; myrto & oleæ, sed quia spectatissima in monte Parnaso. Ideo etiam grata semper Apollini, assuetis eò dona mittere iam & regibus Romanis, teste, ut tradunt, Lucio Bruto, qui lauriferam tellurem illam est osculatus ex responso. Adhibebatur quoque purificationibus. Testatùmque sit obiter & ramo eam feri, quoniam dubitauere Democritus & Theophrastus. Vnius arborum latina lingua nomen imponitur viris. Folia lauro non decidunt. proxime Fauonium germinat. Laurus pleraque gignit, vuas suas maximè sterilis, ob idque mas à quibusdam existimatur. Frigus inimicum lauro natura fecerat, sed in Olympo copiosior nulla est. Circa Bosphorum Cimmericum omni modo laborauit Mithridates & cæteri incolæ, sacrorum certè causa, laurum habere, sed non potuit impetrari à solo, ut hanc tanquam alienam aduenamque nutriret, nec vllò cælum modo flecti potuit, quanquam & arbores punicæ ibi abundant. Si lauro teratur hederæ, laurùmque terat eadem, ignis excutietur. itaque teritur lignum ligno, flammamque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorum facillimè conceptum. exploratores hos vsus in castris & pastores repererunt. In Ponto circa Heracleam laurus erat, ut prodiderunt literarum monumentis, quæ tumulum regis Bebrycum interfecti tegebat, quam vocabant insanam, quoniam siquid ex ea decerptum inferatur nauibus, iurgia fiant, donec abijciatur. Rubigo quidem maxima segetum pestis abigitur lauri ramis in aruo defixis, transitque in earum folia ex aruis. Palumbes, graculi, merulæ, lauri folio annum fastidium purgant. Fit & oleum ex ea admisto druparum oleo. Quidam è baccis exprimunt tantum: alij folijs modo: alij folia & corticem baccarum: nec non styracem addunt, alióque odores. Optima ad id latifolia, syluestris, nigra baccis. Laurus ex calfactoriam naturam habet emollientemque. itaque decoctum prodest insidentium vuluis, vesicæque vitijs conuenit. Viride folium leniter substringit, tritum illitu vesparum, crabronum & apum ictibus, item serpentium venenis resistit. Inflammationes omneis cum pane & polenta mitigat. Prodest mensibus sceminarum cum oleo coctum. Commanducata per triduum terna folia liberant à tussi. Quæ tenera sunt trita, collectionibus oculorum cum ruta, testium cum rosaceo, capitis doloribus cum irino auxiliantur. Eadem suspirijs cum melle trita commendantur. Pota vomitiones mouent. Cortex radicis calculos rumpit, grauidis ipse cauendus, enecans partus. Iocineri prodest, tribus obolis in vino odorato potus. Baccæ, quæ daphnides Græcis nominantur, magis quàm folia calfaciunt. Cum melle vel passo tabescentibus profunt, eodem modo & omnibus thoracis rheumatismis. nam & excoquant pituitam & extrahunt. Aduersus scorpiones ex vino bibuntur. Vitiligines emaculant: epinyctidas ex oleo illitæ & lentigines & vlcera capitis manantia, & furfures tollunt. cutis pruriginem baccarum succus emédatur. Aurium dolori & grauitati instillatur cum vino vetere ac rosaceo, & strepitum, cum eadem sonant, coercet. Perunctos eo fugiunt venenata omnia. Prodest & contra venenatorum ictus potus. Lauri eius, maximè quæ tenuiora folia habet, baccæ cum vino serpentibus, araneis, & scorpionibus aduersantur. Ex oleo linuntur lieni, iocineri, gangrænis cum melle. & in fatigatione etiam aut perfrictione, succo eo perungi, nitro adiecto, prodest. Sunt qui celeritati partus multum conferre putent, radice acetabuli men-

fura pota in aqua, efficacius recentem quàm aridam. Quidam aduersus scorpionum ictus decem baccas dari iubent potui, item in remedio iacentis vuæ, quadrantem pondo baccarum foliorumve decoqui, in aquæ sextarijs tribus ad tertias, eamque calidam gargarizare. Laurus delphicæ trita olfactaque subinde pestilentia contagia cohibent, tanto magis si vrantur. Oleum è delphica ad cerata, perfrictiones, discutienda neruorum vitia, laxandos lateris dolores, febrésque frigiditas vtile est. Item ad aurium dolorem in cortice punici tepefactum. Folia ad ternas aquæ partes decocta, vuam gargarizatu cohibent. Alui dolores intestinorumq; finiunt. Tenerrima ex ijs trita in vino papulas pruritúsque noctibus illita delent. Proximè valent cætera lauri genera. Ex lauri baccis oleum conficitur hoc modo. Baccas lauri quàm plurimas maturitate turgentes in aqua calida discoquere facies, & vbi diu ferbuerint, olei quod ex se dimiserint, supernatantis vndam, pennis leniter cogentibus, in vasa transfundes.

¶ *Lentiscus.*

Cap. XCIII.

**L**entiscus à Græcis schinos vocata, arbor est roboris magnitudine, sorbi folio, terebinthi odore, acinis syluestris punicæ rubētibus, vbi maturuerint nigris, tantisperdum coquuntur rufis. Fertur & alia iunipero similis. Plinius quoque videtur præter Chiam aliud genus nouisse, lentiscum Italicam dicens. Ea traditur folio pistacij, sed minore, per extremitatem rubēte, in summo filiquæ pisorum, sed corniculi modo intortæ, in quibus resina odoris iucūdi continetur. Fructus sabuci specie in racemis dependet, qui in initio rubet, postea nigrescit. Romæ audio demonstrari in ruderibus, monumentisq; folliculis inanibus & deformibus, quibus confractis culices euolent frequentes. Dioscorides folia dulcis radicis & lentisci consimilia fecit. Ter anno floret, & coma pubet perpetua: qua in re sententia Ciceronis subsignatur, id attestante eius carmine,

- „ Iam vero semper viridis sempérq; grauata  
 „ Lentiscus, triplici solita est grandescere foetu:  
 „ Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Resinam vbique sudat, mastichen vero dictam in Chio tantum in sula fere. Arborum succo manantium, quæ picem resinamque ferant, in Oriente optimam tenuissimamque post terebinthum lentisci fundunt, quam & masticem vocant. Baccam etiã profert, vbi cura quoque lentisco adhibebatur, nequid non hominis ventri natum esse videatur. Resina lentiscina in Chio mastice est. Importatur & ex India quadam è spina mastiche, item ex Arabia, lamam vocant. Sed ex Asia Græciãque veræ quàm simillima. Theophrastus ixinam spinam reddere mastice author est. Ex lentisco Chia gummi modo nascitur nigra & candida. Ex Ponto quoque venit bituminis similior. Laudatissima Chia candida. Galenus duo genera colligit, nigram & candidam, nigram Aegyptiam, candidam Chiam vocari prodens. Ex Aegyptia vnguentum aut oleum fieri solere negat. Diligentiores nigram quæ in Ponto bitumini similis gignitur pici ad vasa vino condendo miscebant. Lentisci baccas schinides appellauit Hippocrates. Mastiche Plinio adulteratur vt thura, Dioscoridi thure & resina. Laudatissima inter omnes Chia, candida. Mastichen caldam esse cum humore quodam prodidit Aëtius. Iis auxiliatur quibus lenta coijt pituita. pituitosum exigit humorē, siquis quaternum sextularum

pondere deuorarit. hoc modo sumpta,alui deiectionem molitur.prodest refri-  
 ctionibus stomachi non indita modo, sed foris quoq; illita. Idem oleum ex ea fa-  
 ctum præstat. Lentisci & arbores, & cortex, & semen astringendi naturam ha-  
 bent, lachryma vrinam ciunt, aluum sistunt. Decoctum eorum vlcibus quæ  
 5 serpūt, fotu auxiliatur. Illinitur & in humidis & igni sacro. gingiuas vtiliter col-  
 luit. Folia dentibus in dolore atteruntur, mobiles decocti iure proluuntur. capil-  
 lum tingūt. Tenera inflammatis oculis illitu sunt auxilio. Lachryma fedis vitijs  
 prodest cū quid sicari ex calferiue sit opus. Exprimitur succus è cortice, folijs,  
 radice, cum aqua percoctis: abiectisq; ijs, aqua denuo coquitur, dum mellis refe-  
 10 rat crassitudinem. huic vis inspissandi. Sanguinem reijcientibus, alui profusioni-  
 bus, dysentericis bibendus datur. Prodest contra sanguinem mulieribus erum-  
 pentem, & ad vuluæ sedisq; prociđentiam: in totum acaciæ & hypocisthidis mo-  
 re in vsu respondet. Eadem præstat detritorum foliorum succus. Decoctorum  
 fotu caua complentur, ossa contracta resarciuntur, abundantia mensium in fœ-  
 15 minis sistitur, vlcera quæ depascunt, arcentur. Idem vrinam pellit. motus dentiū  
 collutione stabilit. Virentia surculorum cremia calamistri vice dentibus atterun-  
 tur, exteruntque eos. Decoctum è lachryma stomacho vtile, ructum & vrinam  
 ciens. Lentiscus resinam fundit, quæ lentiscina & aliquibus mastiche cognomi-  
 natur. Additur in dentifricia, & illitiones ad exterendam cutē in facie, item ad re-  
 20 plicandas palpebras. Adhibetur sanguinē reijcientibus, tussī veteri. commandu-  
 cata suauitatē halitus commēdat, gingiuas reprimi: medetur attritis pedibus cū  
 cera, & cū aqua virilia fouentur. Laudatissima copiosissimāq; in Chio insula. Pro-  
 batur quòd ignis fulgore splendida, candorem ceræ tyrrhenicæ præferēs, retor-  
 rida, odorata, friabilis: improbatur viridis. adulteratur thure permisto resināq;.

35 **Ligustrum.**

Cap. XCIII.

**L**igustrum arbor est folijs oleæ latioribus, mollioribus, colore viridiori-  
 bus, flore muscaceo, candido, odorato, semine atro, non absimili fabu-  
 cino acino. Nascitur Ascalone Iudææ laudatissima, item Canopo. Cy-  
 prum quidam, vt Plinius inquit, esse dicunt arborē, quæ in Italia ligustrum voca-  
 30 tur, folijs ziziphi, semine coriandri, flore candido, odorato. Coquitur flos in oleo  
 premiturq; fitq; quod cyprinū vocatur. Optimum habetur è Canopica, in ripis  
 Nili nata, secundum Ascalone Iudææ, tertiu Cypro insula, odoris suauitate. Cæ-  
 terum ligustrū apud nos eadem arbor est, quæ in Oriēte & Græcia cyprus, Gal-  
 lis *troena*, meis Sueffionibus *druyna*, officinis ad barbaros desinētibus tum *alcanna*,  
 35 tum *benne*: siquidem ea folijs est oleæ latioribus, mollioribus, magisq; herbaceis,  
 albo flore, muscoso, quo decusso semē restat nigrū, in pilulis racematim cohærēs,  
 effigie coriādri, sabuci magnitudine, nihil frequētius in vepribus occurrit, nihilq;  
 crebrius in dumetis inuenitur: quo magis miror cyprini tā commodū obsoleuis-  
 se vsu, quo ferè omnia veterū monumēta scitent. Facile tamē fuerit & oleū &  
 40 vnguentū in vsu reuocare, cum passim arbor nascatur. Ligustra tesseri vtilissi-  
 ma: pueri bacculis inficiunt decoctis in aqua, & atramēti loco scriptitant, sed pi-  
 ctura in cæruleū quadam tenuis spectat. Pro flore Virgilius vsurpauit ita canens,  
 Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.  
 Cypri, id est ligustri florem Plutarchus putat corollis intorquendum, quòd pla-

cidum suauemq; somnum potioribus accersat, quippe qui lenem auram & mi-  
 tem expiret, quæ temulentorum salebrofas aspritudines sensim læuiget, ita vt  
 conciliata tranquillitate hebes crapula retundatur, & caloris officio percoqua-  
 tur. Non paruo in errore versantur, qui arbusculam, seu verius fruticem à ple-  
 risque caprifolium, quòd libenter capellæ eius folio vescantur, appellatum pu-  
 tent esse ligustrum: in qua fuere sententia nonnulli nostræ ætatis viri & doctrina  
 & ingenio celebres, qui planè (pace tamè eorum dixerim) desciscunt à veritate,  
 cum caprifoliū nostris tum herbarijs, tum officinis hac facie demonstratur. Am-  
 plexicaulis frutex, ramulis lignosis, rufis, geminis, per interualla vmbilicatis fo-  
 lijs à terra cæsijs, supernè viridibus, mollibus, hederæ baccis, seu myrti syluestris, 10  
 in cacumine duobus folijs tunicato, ita vt difficulter eruatur, radice crassa, in ar-  
 uis & sepibus viuis se conuoluens quibuscunque assidentibus fruticū adminicu-  
 lis. eandem vocant *matrisiluiam* officinæ. Flos in eo candidus cōspicitur, fabæ non  
 dissimilis, atq; in foliū procumbēs: quæ periclymeni propria traduntur. Itaq; ligu-  
 strum & caprifoliū vulgo dictum, in tanta sunt suarum partium discordia, vt ne 15  
 vlla quidem germanitate coniungi possint: nanq; ligustrū in arbusculam adoles-  
 cit, quæ suo freta robore nullo fulcitur pedamento. Caprifoliū simplici frutice  
 prorepat, conuoluens se quibuscunque arborum caudicibus, ita vt nisi alterius  
 ope fruatur, caducum in terram serpet, nisi nactum fruticem vel arbusculam qua  
 nitatur: tum crebro se torquet volumine, vt caudicibus arborum statuminum 20  
 vice, & ramis quasi humeris fultum, sustentata flexili imbecillitate firmetur. Flos  
 huic fabaginus cernitur, illi muscaceus, exilis: vtriq; albet. Folium huic hederæ-  
 ceum, illi oleaginum tribuitur: huic baccæ hederæ rubro colore nitent, illi fabu-  
 cini acini atro colore splendescunt. hæc suo complexu vepreta viuasq; sepes ir-  
 retit, illud liberum nullo alterius fruticis iutum fauore dumetis insurgit. Vtri- 25  
 usque tamen decocto os colluitur, cum ipsum aphthæ fœdis vlceribus obsident.  
 Multo magis insimulantur, qui ligustrum conuoluuli florem esse prodant, in  
 qua sententia est Seruius grammaticus, qui ligustrum florem esse scribit, candi-  
 dissimum ac vilissimum qui in conuoluulo herba nascitur. Sed euidentior error,  
 quàm vt explodi mereatur: quum conuoluuli flos prægrandis sit, & vt verbis 30  
 vtar Plinij, quasi rudimentum naturæ lilia facere condiscens. Flos ligustri per-  
 quam exilis est, muscosa facie, vt iam dictum est. Sic hallucinātur literatores ple-  
 riq; hunc conuoluuli florem ligustrum intelligētes, falsi, vt arbitror, quòd apud  
 quosdam suo vernaculo sermone flos ille vulgo licet perperā, dicitur ligustrum.  
 sic vulgi autoritate freti non immerito decipiuntur. non semper Latinæ lin- 35  
 guæ sermo respondet vernaculus. Natura ligustri folijs astrictoria, vnde com-  
 manducata oris vlceribus opitulatur. eadem illita feruidis collectionibus car-  
 bunculisque medentur. decocto eorum fouentur ambusta: ipsa rufant capillum,  
 modo in radiculæ succo maduerint. Flos capitis dolores sedat cum aceto illi-  
 tus fronti. Succus eius neruis, articulis, quos humor impleuit, auxiliatur. Folia 40  
 vbiq; veteri vlcere cum salis mica & oris exulcerationi profunt. Sanant galli-  
 naceorum pituitas acini: pollent & contra phthiriasim, item contra intertrigi-  
 nes. Fit ex eo cyprinum oleum, quod excalfacit, emollit neruos, quoniam non-  
 nulla quæ feruenti natura sunt prædita, sibi adsciscat.



## ¶ Lotus arbor.

## Cap. XCV.

**L**otus arbor, quam Aphri celtin, Latini fabam græcam, Græcum vulgus anacacabeam, vt Aëtius est author, Italia hodie tum amarenum, tum pongeracum, tum visciulum, quidam acrifolium, alij ciceraginē, Galli *alysam* & *alysorum* appellant. Infra pyri magnitudinem subsidet, breui caudice, cacumine ramoso, cortice aspectu grato, atra materie, folio ilicis nisi dissectum esset. Fructui maturo luteus colos, fabæ magnitudo, iucundus odor, cerasi ferè natura, radice magis quàm lignum nigra. Lotus Theophrasto proprium genus præstat, pyri magnitudine, aut paulo infra, incisuræ in folio crebriores, alioquin ilicis viderentur, spissa, nigra & ferè enodi materie, lignoque macilento, dura medulla. Differentiæ generum plures, eaque maximè fructibus discretæ constant. Amplitudo fabæ pomo, color croci, sed ante maturitatem alius atque alius sicut in vuis. Nascitur in ramis densum myrti modo, non vt in Italia cerasi, vt Plinius addit, inter sese aduersum. Manditur, vt idem Theophrastus est author, inter Lotophagos, innocua dulcedine suauitatēque, nec ventris sentire morbos ferunt, qui eo subinde vescantur: iucundius meliùsque sine interiore nucleo, qui in alterutro genere osseus videtur. Vinū eo exprimitur. Tanta verò fructus & arboris copia narratur, vt exercitum Ophelli Carthaginem petentis in com meatuum defectu pauerit. numerosa in Pharide insula Lotophagorum, nec paucior in continenti, sed multo largior. Plurima in Aphrica ad nos spectante. Hesperidum lotos ab ea quæ Lotophagis nascitur, distat, vt qua ligni vice vtantur ad vrendum. Non desunt, qui fruticosam ramosamque arborem esse tradant, caudice firmo ac fideli, fructu qui nuce obducitur foris minimè carnososo, sed pelliculari & cuticulaceo, nec cibo tam dulci quàm gustu, aliàs iucundo. Vinū quod ex eo conficitur, vltra binos ternosve dies negant durare, à quo tempore statim acorem contrahit: suauiore itaq; fructum apud Lotophagos haberi. Sed materia Cyrenaicæ præfertur. Radici nigritia maior quàm ligno, densitas minor quàm hebeno, & post buxum summa redditur, certatque ferè medulla eius cum buxi spissitudine, ita vt ex reliquis ei primatus detur. verū ad pauciora commodior. Vtilitas radici quàm ligno minor: quippe cum tantum ad punctiones & glutinamenta v sui sit: lignum tibijs & alijs plerisq; expetatur. Medullam habere lotum, qua multi carere putant, constat, argumento, quòd ea valuarum sumptuosarum cardines factitare solent artifices, & simulacra sculpere, quòd non capiat rimas. hæc Theophrastus. Sunt, qui breuem tradant arborem, vt Polybius, qui & vidisse se testatur, spinis asperam, folio virenti, quale rhamno, tantum profundiore latiorēq; fructu candidæ myrti per initia, processu puniceo, magnitudine oliuæ, sed rotundo: eum cibo familiæ tundi cum nucleo qui perexiguus ei est, seruari conditum: eundem nucleum herilibus mensis eximi. Saporem fici & phœnicobalani inesse pomo: sed præstantiori odore, vinum & acetum inde fieri. Cornelius Nepos tradit vinum quod exprimitur simile mulso, quod vltra denos dies inficiatur, idem durare, baccasque cum filiqua ad cibos dolijs condi. Sunt qui biduo triduo ve acescere vinū scribant. Aphrica quæ vergit ad nos, insignem lotum arborem gignit, quam vocant celtin, & ipsam Italiae familiarem. Præcipua est circa Syrtes atque Nasamonas. Fructu tam dul-

ci, vt nomen etiam genti terræque dederit nimis hospitali aduenarum obliuio-  
 ne patriæ. Iam & in Gallia nascitur, cæterum mutato solo cæloque, à grata illa  
 fructuum dulcedine degenerans. Exercitus pastos fructu eo accepimus vltro cis-  
 tróque commeantes per Asiam. Baccas cum nucleo & callo contusas ad cibos  
 cadis condebant veteres. Lotos, siue faba græca, quam à suauitate fructus syl-  
 uestris quidem, sed cerasorum penè natura, loton appellant, præcipuè domibus  
 expetitur, ramorum petulantia, breui caudice, latissima expatiantium vmbra,  
 & in vicinas domos transilientium. nulli opacitas breuior, nec aufert solem hye-  
 me decidentibus folijs: nullis cortex iucundior aut oculos excipiens blandius:  
 nulli rami longiores validiorésque aut plures, vt dixisse totidem arbores liceat. 10  
 Particulatim lotus fructificat, non ab vtroque sui germine: quod & in alijs qui-  
 busdam notatum est. Ludicræ tibiæ fieri cœptæ sunt è ligno, cui colos nigritia  
 placens, ad cantus tiliarum expetito, è radice cultellis capulos, breuésque alios  
 vsus excogitant. Materies nec cariem nec vetustatem noscit. Viuax est arbor,  
 & æquæua quibusdam vrbibus. Durauit, vt fertur, ab Urbis Aede condita (in- 15  
 certum quantum ipsa fuerit vetustior) longissimo arborum æuo, ad Neronis in-  
 cendia, adhuc iuuenis viridísque victura, nisi princeps ille arboris accelerasset mor-  
 tem. Quantum pertinet ad nomenclaturam, sunt qui fabam appellent Syriac-  
 cam, nympa in arborem sui nominis conuersa, quam Priapus fugientem com-  
 primere quæsisset, vt fabulantur. Padi accolæ baccam Syriacam adhuc appel- 20  
 lant. & vt audio, Romæ vulgo arbor illa puls Syriaca nominatur. Anacacabe-  
 am vulgò apud Græcos dici, & fructum anacacabon, author est Aëtius. Ceno-  
 mani hodie vocant *calamum*. quod lignum cœptum est pertundi, vt tibiæ facti-  
 tarentur, reiectis propter nimiam difficultatem arundinibus. Recentiores certè  
 acrifolium pro faba, siue, quod idem est, loto arbore capiunt. Acrifolium tamen 25  
 Macrobius inter infaustas arbores numerat, contrà lotum felicem esse tradit:  
 quare aliud acrifolium à loto putauit. nec aquifoliū legi posse crediderim, quod  
 ilex sit, quæ felicibus annumeratur. Fabam græcā Latinis dici putauerim, quod  
 fructus tuberculo fabæ grandescat, & sua grata dulcedine cibus placeat. Dio-  
 scoridi lotus magnitudine iustæ arboris adolescit, fructu maiore quàm piperis, 30  
 dulci, graueolente, qui edendo sit & vtilis stomacho. Mauritanæ familiæ autho-  
 res in duo dispescunt genera, alterum læue, alterum spinis acutis horret, vtri-  
 que folia lata & aliquantum rotunda. Fructus sua mira dulcedine opiparas re-  
 gum mensas exhilarant, ósque mandentium odoris suauitate commendant.  
 Cur rusticis *alyfa* baccæ & arbor *alyserum* dicatur, haud compertum habeo, ni- 35  
 si forsitan indissolubili ligno, & ob hoc ad ludicras fistulas nato. Fructus si co-  
 piosior estur, ebrietatem repræsentari volunt. Lotos, quæ faba græca nostris ap-  
 pellatur, aluum baccis sistit. Ramenta ligni decocta in vino, potu infusúq; pro-  
 sunt dysentericis, abundantibus menstruis, vertigini, comitialibus. Rufant ca-  
 pillum, defluentémque cohibent. Mirum ijs ramentis nihil esse amarius, fructú 40  
 que dulcius, qui stomacho sit vtilis, & citam aluum supprimat. Fit è scobe eius  
 medicamentum, ex aqua myrti subacta, & diuisa in pastillos dysentericis vtilissí-  
 mum, pondere victoriati potum cum aquæ cyathis tribus.

## ¶ Malus.

## Cap. XCVI.

**M**alus, quæ Græcis melea, Gallis à pomis ferendis ferè nomen retinet: arbor est vulgo notior quàm vt explicari debeat, se cõfestim in ramos spargens, vnico caudice, cortice læui, folio oblongo, neq; non mucronato carnosóq;, flore foliato, supra fructum insidente, radicibus paucis summæ telluri cohærentibus, pomis magna ex parte rotundis, semper verò callosis, & quæ solem spectant puniceis, seminibus intus discretis, continente tunica vestitis. Latere malus germinat, serotino pullulatu. facillimè fructum ante maturitatē perdit, cum multis pateat iniurijs, sed verna, vtpote imbecilla, offensis omnibus longè opportunior. Fructum reddit primis frigoribus, ex annotinis surculis fructifica, & ex nouellis item, si qua fuerit bifera. suo fructu sata degenerat. Breuissima malis vita, & præcocibus & vernis breuior quàm serotinis. dulcibus quàm acidis. sed vt cito occidit, ita velociter crescit. Fissuræ vulnus caudex accipit, nec tamen more cæterorum emoritur. Corticis læuore nitet, peculiarésque nodos habet belluata facie, vt Theophrastus scribit, sed prægrandi vno, alijs circa eum pusillis compluribus. Sentit frequenter arbor vermiculationem, atque vredine locis concauis & quæ à venti perflatu silent, infestatur. interdum & syderatione tentatur. Fructu & in planis contra cæterarum morem præstat. Humor eiaquo sus. descendit in plana, subit & in montosa. Malos ferere nouem pedibus paulo distantiores præcipiunt. Biferæ in ijs quædam sicut & præcoces, item syluestris bifera. Sequens eius fructus post Arcturum in apricis maximè celerrimè senescit, & in senecta deteriorem fructum gignit. nanq; minora poma proueniūt, & vermiculis obnoxia, quoniam & in ipsa arbore nascuntur. Malum inferi Ca  
 25 to iubet per ver, & post solstitium, diebus quinquaginta post vindemiã. Serendi tēpus æstiuus malis distribuitur. post mediam hyemem ad idus Februarias, ramis sata, rarius emergit. Duobus anni temporibus, vt Anatolius scriptum reliquit, mali feruntur, vere & autumnno, sed locis quibus humorē natura non suppeditat. Autumnno sata post imbres melius conualescunt, amant lætum, pingue & pul  
 30 lum solum. Frigidis tractibus gaudent, nec in humectis sedem recusant. nõ erodentur à vermibus, si circumscita fuerit scylla. Vermes à suillo stercore misto humanæ vrinæ, & radicibus offuso extinguiūt. siquidem mali mirum in modum lotio recreantur, cuius rigatu crebro non parum eas adiuuari certū est. Sunt qui caprinum fimum vrinæ adijciant, & veteris vini fæcem radicibus infundant, vt  
 35 dulciorem creent fructum. Morbos abiges, si asinino stercore in aqua macerato sex diebus, occiduo sole rigaueris. Amat ex interuallis rigationes, quoad germinet. Si cupis vt pomorū abūdantiam ministret, nec numerosam prolem perdat, dissectum plumbei tubi patulum os, sic vt circulum ducat, caudici altitudine pedis à terra strictim obducito: & quum mala cœperint adolescere, torquem  
 40 hunc eximito. id quotannis est faciundum, vt vbertatē fœcundam cõcipiat. Læcæ viridis felle si perungatur caudex, poma non putrescent. Generosissimæ quæq; malorum plantæ radicibus non viduæ scrobibus humanæ, sic vt cacumen tantum super terram relinquatur extare. Radices taurino felle oblinendæ: siquidem celerrimè vermium iniuriam arbor sentit. qui si negotium exhibeāt,

æreo clauo fodicandus atque vellicadus cortex, donec mucrone tacti radantur, sed vlcera loca bubulum fimum obducat: sic semel rasi non vltra nascentur. Si caduca sint poma, fissæ radici lapis impactus ea retinebit. Si spissa poma ramos onerabunt, interlegenda quæ vitiosa videbuntur, sic generosa copiosiore alimēto fulta maiori luxuriabunt incremento, vitiosis amplius alimonia nō surripiētibus, succusq; qui ingratè his posset impendi, ad meliora tādē vertatur. Vermiculosa poma solū aridum parit. Putatio apta est, vt & arida & malè nata tollātur. Citò senectam experitur hæc arbor, quo tempore degenerat. Malus, vt Diophanes posteritatis memorię tradidit, inseritur pyro syluestri, cotoneo, ex qua miscella, quæ Athenienses melimela nomināt, hoc est mellita & dulcia mala, creantur: item platano, vnde rubra nascuntur. Didymus in commentarijs quæ de re rustica reliquit, iubet & malum pruno damascenæ inserendam, quæ si citrio insita comprehenderit, toto anno pomiferam reddi pollicetur. Rationem adferet Berytius, qua rubra poma nascuntur. Arbor vrinæ rigatu fatietur & rubra prodibunt. Sunt qui ad hunc modum malis rubrum colorem moliātur. Palo in terram defixo, fructiferos ramos citra vulnus incuruantes illigant, & iuxta vel scrobiculos vel vasa complent aqua, obseruantes vt meridie concidens in aquam, solis radius calidum euocet vaporem, qui refractu quodam in pomum resiliens, rubrum colorem conciliet. Non desunt, qui sub arbores rosas serant, sic rubra poma dari promittunt. Malorum plura sunt genera. de citreis in sua arbore dictum est, medicā Græci vocant patriæ nomine. Tuberū duo genera, candidum, & colore sericum vocatum. Papinius tuberes & zizipha, hæc ex Africa, illa è Syria nouissimis Augusti temporibus inuexit, in castris fata & aggeribus præcipuè decorata, baccis similia quàm malis. Quemadmodum Græci tuberas ipsas appellēt, vix possum coniectura consequi, nisi eas quis serica vocare putet. Parui succipoma, nec concoctioni, nec stomacho facilia, vt tradit Galenus, exiguumq; corporibus alimonium præbentia, sed solum infidentibus & effrenatis pueris, ac malicia muliebri cibo expetita: quare nihil ad secundam valetudinem tuendam, aut abigendos morbos valere Galenus testatur. Serica Galeno fuerunt, quæ alio nomine zizipha dicuntur. officinæ barbaros imitata *iuiubas* hodie nomināt, de quibus suo loco dicendum erit. Sed peregrina erant & zizipha & tuberes, quæ ex Africa venerunt in Italiā. Sunt & in Veronensi agro nascētia, quæ peculiari nomine lanata appellātur, quæ ea lanugo vt struthæa obduceret, nulla alia cōmēdatione insignia. Ab inuētoribus etiā nuncupantur, à quibus habent originē, à Manlio māliana, à Matio matiana, à Claudio claudiana, quibus color rubes. appiana, quibus odor & magnitudo cotoneorū, insito cotoneo ab Appio è Claudia gēte, claudiana sunt cognominata. Sūt & septiana rotunditate insignia ab inuētoire libertino. Cato adiicit quiriana & conditiua, quæ dolijs condantur, scantianāq; sunt & parua quædam gratissimi saporis, quæ petisia nominantur. Patrias nobilitauere camerina & græcula, cætera è causis traxere nomen germanitatis, cohæretia gemella, nunq̄ in fœtu singula: à colore serica, à gētili cognatione melappia, à celeritate mitescendi mustea, quæ nūc melimela dicūtur à sapore melleo. Orbiculata ex figura orbis in rotunditatem circumacti, à mammæ effigie orthomastica, à conditione castrati seminis, quæ spadonia nominant, vel gemella à folijs: folium enim vnum aliquando & geminū erumpit è latere medio. à corrugatio 45

nis celeritate pannucea, quæ quamcitissimè in rugas marcescant, ab importuno tumore pulmonea, stolidè enim tumescunt. Sunt quibus color sanguineus, origine ex mori insitu tracta. Cunctis verò quæ fuerunt à sole partes, rubent. Sunt & parua grati saporis atque etiam acutiora odore, syluestria, peculiari acerbitatis improbitatisque conuitio, quibus vis tanta, vt etiã aciem gladij præstringat. Dacca ferè vilissima, aduentu prima, decerpíq; properantia. Pomorum inuentionem Athenæus Libero patri assignauit. quod & Theocritus Syracusius testatur, malū in sinu seruare prodēs. Subscribit huic iudicio Neoptolemus Parianus in Dionysiade, qui inuenta à Baccho mala, vt & reliquos mollis calli fructus commemorat. Diphilus author est, viridia mala quæ nõdum ad maturitatem deuenerūt, noxiū parere succū, bilem & morbos creare, causas horroris adferre, ex ijs quæ maturitatē consequuntur, melioris succi dulcia, & facilius aluo excernuntur, vt quæ minori acerbitate sint prædita. Acida improbum gignunt humorem, & magis substringunt. Faciliora stomacho creduntur, quæ ex leni acremēto dulcescūt.

15 Orbiculata iucunda quadã substriictione placent ori, & à stomacho gratiã ineūt. quæ mordiana vocantur, optima in Apolloniata agro, qui Mordius cognominatur, orbiculatis similitudine respondent. Setania & insuper platania bonū creant succū, sed ventri aduersantur. austeria è dulci sunt aphratomela, odorata hæc, & carnē habent asperam, & squalentē vt cotonea. Sunt & phaulia, & quæ delphica

20 Græci vocāt. Habentur & Hesperidū mala, quæ Lacedæmoniorū dijs olim dicebant, suauis, vt Pamphilus tradit, odore: sed ingustabili pomo. Sūt & matiana ex vico Aquiliensi, vt Athenæus scriptum reliquit, sub ipsas Alpes condito. Iis non longè cedunt quæ in Gangris Paphlagoniæ vrbe nascuntur. Græci etiam corinthiaca è Sidonte vico celebrant. nominantur & laconica, & erina à vere dicta, sicut à lanugine chnodia, lanatis supradictis non planè dissimilia. & vt summatim Cloatius diligēter enumerauit, genera sunt, armenium, cotoneū, citreum, couimellium, cōditium, musteum, martianum, orbiculatum, ograminum, præcox, puniceum, punicum, persicum, quirianum, profinum rubrum, scandianum, syluestre, sirutium, tybur, verianum. Porrò Gallis pomorum differentiæ propemodum innumeræ, quando etsi veteres hæc genera malorum annotauerint, posteritas miscella insitione antiquitatem longè vicit. In Gallia principatum obtinet, quæ *capendua* vulgo vocant, sui saporis, verum adeò grati, vt & trans maria vaneant: gestatum plus q̄ alicui sit credibile, tolerāt, in tãta suauitate minime fugacia, magnitudine mediã, colore cū maturuerint luteo, suauis odore, sed angustō,

35 quo tamen animus exhilaretur: cartilagine corporis dura, vt quæ possint in annum protelari. Sæpe & bima vidimus. Secūdas partes sibi vendicāt, quæ ab Ambianensi municipio *rambura* vulgus nominat, prægrandia, rotunda, callo fragili, tenero, vt quæ ventorū flatu deturbata in parteis desiliant, mira & suauitate gustus & teneritudine, ita vt in ore frustra liquecant, sed vt fugientia, diu seruari nõ

40 possunt, neque ferè ad exitum autumnii prorogātur. Proxima sunt, nec eis suauitate cedentia, quæ vulgo *passipoma* nominantur, quòd cum reliquis omnibus de primatu certarent, nisi tam fugacia noscerentur, inde vernaculū nomen ductum est, mediocri magnitudine, turbinatiore figura, carne suauis, prætenera, gustu perquam iucundo, semine per maturitatē in vtero sonante. Sed vt mire placent, ita cito fugiunt. Accedunt quæ *paradisiana*, quasi cælitus missa, nominātur,

45

præparua, mellea dulcedine, præcoci celeritate, quasi verna, concretu pauco. ea malacijs prægnatium expetuntur, omnium ferè pomorum fugacissima. Alia dulcia, callo corporis duriore, rotunda, quæ ob sui nimiam dulcedinè, à palato morosiore laborantium fastidiuntur, ea putauerim esse quæ melimela dicuntur à melleo sapore. eadem à celeritate mitescendi mustea, vt inquit Varro, vocabantur. Mustea sanè veteres appellabant, id quod nos præcocia. Acida vulgus nostrum *malacria* ab saporis acremento nuncupat, oblongiora, dura carne, ex acerbo leniter accescente. Annum hæc sæpius durant, ægris ad inuitandam elanguescentem appetentiam nonnunquam cõcessa. Alia *castinia*, austeriore gustu, dura velut castaneæ cartilagine, mediocri magnitudine, oblonga. Alia vulgo *francetura*, rotundo habitu & amplo, duriore callo, grata acerbitate, quæ tandem in dulcedinem degeneret. ea diu seruari possunt, & annicula sæpe reperiuntur. Sed & *rubelliana*, sanguineo cortice, carne intus friabili, sapore non ingrato, & ex austero subdulci, nec cito fugientia. Reliqua non pigeret nominatim persequi, si vel suis conditoribus propagare memoriã, aut cultoribus vel gloriam vel vtilitatem parere possent. Verum in tanta pomorum nomenclatione, ferèq; nationibus omnibus varia, in tantisq; infitionum adulterijs, perfacilè quis fallitur. Porrò genera quæ quotidie nouo infitionis ingenio prodeunt, nec scribi, nec in tanta gentiliū vocabulorum discordia pernotari planè queunt, ea tamen obiter, vt quæ Gallico vulgo peculiariter nascantur, retulimus. Poma feminis nigrore maturitatè fatètur. Colliguntur post æquinoctium autumnale, nec ante sextamdecimã lunam. cadiua separanda. Seruantur poma tabulatis loco frigido, septentrionalibus fenestris, quæ sereno die lucem accipiant patètes. Austri specularibus arcendi, Aquilonis afflatu deturpantur rugis. Stramētis, storeis, paleisve substernuntur. Rara cõponuntur, vt limites parui spiritum æqualem accipiant. Minimū melimela durant, plurimum camerina, quæ vt scantiana quoq; ferotina sunt, & gelu maturescunt ad hyemem vsq; pendentia in parente. Mala Marcus Varro folijs ficulneis præterquam cadiuis singula cõuolui iubet, cistisq; vitilibus condi, vel creta figlinarum illini. Poma longo tempore durabunt, si, vt Diophanes suadet, vegeta legantur. sed obseruationem desiderant, vt manu decerpantur illæsa, & fuco id est musco marino singula conuoluantur, sic vt vndiq; cooperiantur, interiecto quoq; eodem, ne sese vlla ex parte contingant. sic patinis indito operculo clausa, tabulato frigoribus obuerso, quo neque fumus, neq; teterrimus perueniat odor collocentur. Si desit fucus, singulæ arculæ singulis pomis sunt assignandæ. nam vna clausa diuersa genera discordant, & celerius vitiatur. Sunt qui creta figulina singula crustent, quæ postquam occalluerit, incolumia seruantur, folijs nucum subter expositis, quo substratu, & odori & colori perquam bellè consulitur. Melius cedet, si frondibus nucum non caducis singula cõuoluantur. Custodiuntur in olla fictili cera interius inducta. A putrilaginis labe vindicantur, hordei acervis obruta. Seruantur quoq; fidelis fictilibus non picatis, effracto fundo, & excluso spiritu, sed ad id muneris integra & lecta manu, quæ non senserint vetustatem, deligantur: ijs fidelis ad fauces vsque compleantur, & pyxantha aut quouis alio, spiracula vasis diligenter obturentur: sed hyemem totam in parentis surculo pensilia cohæreant, taliãque inuenientur poma, qualia fuerant condita. hoc experientia quadam accepisse testatur idem Diophanes. Seruantur quoque singula

ficulneis frondibus siccis inuoluta, si deinde luto vel argilla candida linantur, & soli, quoad crustam duret, credentur, tunc talia permanēt qualia concluduntur. Poma dolijs musti merguntur, atque ita clausa perdurant, & à fæce seruata vini suauitatē supra modum commendant. Item conduntur mala patinis fictilibus  
 5 fluitantia, quo genere & vino odor acquiritur. Porrò seruanda poma canistris, vel vimineis cistis componuntur, & mundo tomento obruūtur. Hyberna poma seminibus vt vūe demerguntur. Non putrescunt poma, quorū cacumina virētis satyrij herba fuerint illita. hæc Diophanes. Alij stramētis prius in crate subiectis, in cumulos secreta disponunt, qui frequenti diuisione separentur. Alij in vascu-  
 10 lis fictilibus picatis claudi iubēt. Alij argilla crustant, aut solos pediculos creta figlinarum adlinunt. alij in tabulis substrata palea disponunt, & supernè stramentis operiunt. Mala rotunda quæ orbiculata dicuntur, sine cura toto anno se seruare possunt. alij in puteo vel cisterna vasa fictilia mergunt, quibus diligenter picatis & clausis mala cōmittuntur. alij illæsa tantum pediculis eorum feruenti pi-  
 15 ce mersis, supra tabulatum ex ordine disponunt. Plerique scobem populneum vel abiegnum inter mala diffundūt. reponenda tamen sic, vt flosculi sursum, & pediculi deorsum spectent, quemadmodum in arbore nata pendebant. Vinum & acetum fit ex malis, confusa & saccaro rarissimo condita, ponderibus, prælo, aut trusatilibus molis comprimūtur. hyeme durat, sed prima acescit æstate. Ru-  
 20 sticæ disciplinæ authores mala odoratissima quæq; fictilibus vasis cōmittebant, vinum infundebant, & operculatum vas pelliculabant, eo post triduum aut quadriduum vtebātur. Acetum sic è pomis fit acerbis aut syluestribus, quæ in cumulo per triduum reseruantur, deinde mittūtur in cadum, cui fontana aut pluuias-  
 25 lis aqua miscetur, & opertum vas per triginta dies finitur, ac subinde quantum fuerit aceti sublatum ad vsus, tantum redditur aquæ ad reparationem. Nostri è pomis vinū factitant, quod vulgo *cidrea* dicitur, prælo vel trusatilibus molis tor-  
 30 tium ius exprimentibus. deinde rursus secundarium fracibus & retrimētis in aqua maceratis, ita vt pomea lora dici possit, non parui ad restinguendam rusticorum sitim momenti. Galenus omnia inquit, mala breui fugiunt atq; acescūt,  
 35 vtpote frigida & excrementitiō succo redundantia, ideòq; non nisi melle condita seruando sunt. Ab hac malorum conditione, cotonea & struthea desciscūt, quæ nec fugacia sunt, nec facilè degenerant in acorem. Sunt & mala quoq; peculiaribus suis mētionibus prodenda. Pomum omne refrigerandi & humectandi vim habet. parum alit, mali succi est, autumnō plus officit. Pomū Varro dictum  
 40 autumat, quia potu siccitatibus indigeat. Generale tamen vocabulum cōplectitur, quicquid apud Græcos opora continet. Discrimen adsignat Democritus, inter oporas, & ea quæ acrodrya Græci nominant: quòd opora dicatur, quicquid herbaceo fructu viret, lignosi nihil exterius habens, vt duracina, pyra, mala, damascena, pruna: acrodrya verò contrà nominātur, quæ putamen exterius ligno-  
 45 sūmq; fructum continent. vt malum punicum, castaneæ, pistacia, nuces. & oporotheca vbi custodiuntur. Vtrunq; genus salgami nomine complectuntur Latini, à quo salgamarius originem duxit. Sunt de agricultura scriptores, qui nuces & mala sic diuidunt, vt nuces dicant omne pomum, quod foris duro tegitur, & intus habet quod esui est: malum verò foris habet quod edendo est, & durum in-  
 45 tus includit. Dubitatum in iure apud Celsium, an nux pinea pomum esset: quia

nuces essent quicquid exterius duro contegitur, id quod estur foris habet, pomo vtrunq; continetur, quod plerisq; probatur. Seruio nuces sunt omnia duriore corio tecta, molliore verò poma. Malorum appellatione veniunt & cotonea, & punica, & persica, & pyri genus, vt volunt, vnum libræ nuncupatum, ab amplitudine & pondere. Rei rusticæ scriptoribus syluestria poma numerantur, albæ spinæ, græcæ filiquæ, iuniperi, cornus, loti, arbuti, paliuri, & achradis pyri. Pomifera syluestria, quæ sibi suillum pecus vsurpet, Columellæ sunt corylus, græca filiqua, alba spina, lotos, pinus, cornus, arbutus, prunus, & paliurus, atq; achrades pyri, quæ alio genere comprehenduntur, quàm ea quæ Plinius syluestria nominauit, odore acutiora, improba & acerba, ob id conuitio dicata. Pomis omnibus caducis suillum pecus optimè pascitur, sed ea gestantibus doruarijs iumentis tam graui, vt oneri quoq; viribus alioquin non impari succumbant. Siquidem vires (vt Lucianus in asino aureo putat) odoribus eorum offensæ fatiscunt, vt ponderi pares non sint. Mali generum omniũ spissandi viribus pollent. Poma ipsa manduntur acerbiuscula, vbi non nihil astringendum sit: non idem possunt matura. ex ijs verna bilem pariunt, neruos lædunt, spiritus flatúsque creant. Melimela aluum emolliunt, animalia ventris expellunt, siticulosa, estuosa, glycymela, hoc est mala dulcia, nonnulli vocant. Orbiculata stomacho amica, sistunt aluũ, vrinas cient, vomitiones supprimunt. Syluestria mala similia sunt vernis acerbis, aluũque sistunt, in quem vsus immatura opus sunt.

¶ *Mespilus, & Epimelis.*

Cap. XC VII.

**M**espilus Græcis & Latinis iuxta, quæ Gallorũ alij *meslierum*, alij *neslierum* vulgo dicunt. Arbor est mali vulgaris altitudine inferior, ramis in gyrum comosis, aculeatisque, folio promisso, tenui & longo pediculo, flore subherbaceo, amygdalæ forma, fructu dum pubescit viridi & duro, vbi maturuit fuluo ac molli, circa verticem cristato, tribus quatuorve intus nucleis, radice numerosa, materie dura, solida, cariei minimũ obnoxia. Theophrastus Idæorum secutus obseruationem tria eius tradit fastigia, anthedona, sataneam, gallicam. Sataneæ malum grandius, candidius, solutiũsq;, molliori intus acinorum ligno, verum fugacius cæteris, minus quidem pomũ, sed fragratius, gustu atringentius, & vetustatis patiens, ligno quoq; spissiori flauioriq;, diutius hoc durat. Flores, vt idem refert, omnibus amygdalæ, non tam rubentes, sed propemodum herbacei. Arbor inter amplissimas, comosa in gyrum, folio scisso, extremitatẽq; apio simili, sed maioribus diuisuris, promisso, rigenti, neruoso, tenuiore & longiore quàm apium, longo & gracili pediculo, radice alta, numerosaq;, ideo longæua arbor est, & inextirpabilis, lignum quoq; densum, incorruptum, solidum. Folia antequam decidant vehementer rubescunt. Seritur semine & auulsione. Vermibus infestatur in senecta, qui prægrades ei, diuersi quàm cæteris arboribus cernuntur. Mespilus, vt Didymus scriptum reliquit, ante diem octauum Calendarum Aprilium seritur, modo quo cotonea malus, locis calidis gaudet, sed irriguis tam men. Frigida quoque non recusat: sabulone pingui, vel glareosa terra cui arena permista est, vel argilla cum saxis, prouenit. Serenda est taleis mense Martio, vel Nouembri, sed solo stercoreto & subacto, ita vt vtrunq; caput taleæ stercus obducatur. Amat putari atque circumfodi, & parco humore per siccitates refoueri.



Seri potest etiam semine, sed in longæuiorem speratur ætatem. Si vermibus occupatur, stylo æreo purgandi sunt, & amurca, vel humana vetere vrina, vel viua calce profundendi, sed parcius propter arboris noxam, vel aqua decocti lupini. si putatur hinc arbor sterilis fieri, fimus & cinis vitium simul, si radicibus infundantur, fertilem reddunt. Si formicæ molestæ sunt, rubrica cum aceto & cinere subtracta necabuntur. Si poma labuntur, præcisum è radice frustum media trunci parte figatur. Inferitur mense Februario in se, in pyro & malo. Surculus tamen eius ex arbore media debet adsumi: nam de summitatibus vitiosus est. in trunco fisso inferenda est: nam ieiuna corticis macies nihil enutriet. Mespila ad seruandum leguntur necdum mitia, quæ & in arbore diu durabunt, vel in vrceolis picatis, vel in ordinem suspensa, vel, vt quidam volunt, posca, vel sapa condita. Die serena legantur ac media, & paleis obruantur, discreta ne vicissim ea tactus adficiat, vel cum pediculis lecta semimatura & salsa aqua per dies quinque macerata, postea sæpe infundantur vt enatent. Seruantur & melle si minus matura collegeris. corio teguntur poma: quod mandi, sicut castaneis detrahi, solet. Cæterum non fuit in Italia Catonis æuo. Dioscorides duplici genere contentus est, ita vt alia quæ Theophrasto & Plinio mespili distinctio repræsentata est, & sanè qua dubitatur, an mespilum cum sorbo veteres confuderint, quando quidem altissimis connumerant, quod certè sorbo, quàm mespilo nunc vocatæ, magis conuenit, nisi quis nostratem mespilum chamæmespilum appellandam fortasse censeat. Plinius tria assignat genera, anhedona, setaniam: tertium degenerare tradit, quod vocant gallicum, intelliges forsitan, quod apud nos inuenitur, arbore pumila, quæ in gymnasium comatur, minore pomo, sed præstâtiori odore, quod diutius seruetur. Dioscoridi mespilus, quam nonnulli vocant aroniam: arbor est aculeigera, folio pyxanthæ, pomum ferens paruo non dissimile malo, gustu iucundum, ternis intus ossiculis, vnde nomen apud quosdã tricocco. sera ei maturitas. Astringit hoc esu, stomachum firmat & aluum. Alterum genus mespili habetur nascentis in Italia, quod quidam epimelida nominant, aliqui sitanium. Arbor mali similitudine, folio tantum minor. Pomum huic rotundum, esculentumque, fundo in latitudinem resimo, astringentis ingenij, & tardè maturescetis. Galenus communi vocabulo tricoccum quasi triossum aut trigraniū ab aliquibus appellatum meminit, quoniam tria intus grana siue ligna seminis loco, fructus contineat. Galli nostri duo obseruant mespili genera, vnum quod rarioribus horret spinis, in dumetis & nemoribus neque non viuis sepibus quasi syluestre nascens: pomo paruo, & per initia tam acerbo, vt vix edendo sit, prius quàm per hyemis frigora mollescat. Alterum grandiore pomo, ita vt mala reliqua magnitudine peræquet, sine spinis, quod videtur crebro insitu in hortis committuisse & feritatem cultu deposuisse. Poma per gelicidia acerbitate domita in passo, vel mulso coquuntur, adiecto cinamomi momento, cibatu vescentibus gratissimo. Sunt qui patinis citra aquam incoquant. Nostri plurimum ligno ad venabula & aurigarum flagella vtuntur. Fructum vsurpant Medici ad coercendum alui ruentis impetum. De epimelide varia authorum sententia. Dioscorides inter mespila connumerat, ab quibusdam & sitanium dici prodens. quod & Galenus apud Hippocratem Dioscoridis testimonio fretus, confirmat, genus esse mespili quod alio nomine sitanium dicatur. Et idem est author, amamelidem mespili genus esse, plurimum nascetis in Italia, quæ

fit epimelis Dioscoridi, quanuis sunt, vt inquit, qui dicant & amamelidas & apomelides, poma esse syluestria ac exigua, ex quo facile intelligitur amamelides esse quæ epimelides Dioscoridi. Páphilus apomelida pyri genus arbitratur, quod amamelida quidam vocant, alij omomelida, frequenté in Ionia & biferam, fructu pyri sed sui generis, omnino vt Athenæus refert, prædulci & sine nucleis, ac prælato pyris. Alij omomelides appellant vt Asclepiades, non pyra, sed mala syluestria & montana, quæ Theocritus oromalidas appellauerit, cum ficu maturescétia. Hypomelides siue epimelides vt Martialis asserit, poma sunt sorbo similia, mediocri arbore nascentia, flore candidulo, sapor ex acri dulcis, ita vt fructui infit dulcedo cum acremento commista. Seritur mense Decembri nucleis in vasculis positis. Mense Februario hypomelidis plâta, iam pollicis magnitudine robusta transfertur breuissimo scrobe, soluta terra, plurimo stercore. sed munienda est quia cito arefcit, si radices eius ventus adflauerit. Terram qualemcunq; non respuit. amat loca tepida, maritima, & sæpe saxosa: statum rigidum reformidat. inferi non potest: exigua durat ætate. Poma eius aut picatis & minutis vrceolis, aut scrobe populi, aut in ollis inter vuas, vinaceis obruta seruantur. Galenus in simplicium censu epimelida scribit à rusticis Italiæ vnedoné appellari, syluestris mali genus, copiosum in Calabria, fructu acerbo & infesto capiti & stomacho, cui & alienus sapor remiscetur. Paulus Galeni iudicio subscribit, epimelidem tradens à rusticis Italis vnedonem nominari, esséq; malum syluestre, cuius pomum fit acerbû stomacho, & capiti noxiû. Sic Galeno & Paulo epimelis genus quoddam arbuti, quæ Græcis comaros dicitur, cui eandem omnino vim reddiderût, hoc addito, quòd fructum mimæcydon nominât. Dioscorides epimelida congenerem fecit mespilo. Pamphilus pyri genus esse putat, Martialis Palladij poma sorbo similia contendit.

¶ Myrrha.

Cap. XCVIII.

**M**Yrrha, quam Greci smyrnam appellant, in Gallia officinîsq; nomen retinet. arborem alij alia specie repræsentant, quia forte haud vna spectetur effigie. Theophrastus quinque cubitis humiliorem, minorem thure, caudice fruticoso, duro & circa radicem intorto, crassiore sura hominis, cortice læui, similiq; adrachnæ. Folio vlmî, scabro, crispo, & extremitate vt iligneû aculeato. Plinius huic accedit sententiæ, arbori magnitudinem assignans ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro & intorto, crassiore quàm thuris, & ab radice etiam quàm reliqua sui parte. corticem læuem, similémq; vnedoni, scabrum, alijq; spinosum dixere. Folium oliuæ, verùm crispus & aculeatum. Iuba olufatri modo foliatam dixit. Aliqui similem iuniperi, scabriorem tantum spinisq; horridam, folio rotundiore, sed sapore iuniperi. Diodorus létisco æquat, fronde tantum frequentiori, tenuioriq;. Alij terebintho assimilarunt, sic tamen vt asperior spinosiorque esset, folio rotundiore, alioqui ad terebinthi saporem accedente. Profecto lignû quod ab Arabibus Antigono regi fuit delatum, nihil, vt fertur, à terebintho differebat. Plerisq; codex in vertiginem flexus & spinis hispidus, folium oliuæ licet crispus, maxima altitudo, extenditur ad quinque cubita proceritatis. Suspicio in Græcis Theophrasti codicibus mendâ subesse, librarijs lubrico lapsu ptelea pro elæa scribentibus, fœcundo duarû literarû annexu, ita vt vlméu